







1526v

1700 266

22

14

B. C. D.  
DISPUTATIO IVRIDICA SOLENNIS  
DE

# LIBERIS NATV- RALIBVS

REGVM ET PRINCIPVM,

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

FRIDERICO WILHELMO,  
MARCHIONE BRANDENBVRGICO, ELECTO-  
RATUS ET PROVINCIARUM HEREDE &c. &c.  
IN ILLVSTRI FRIDERICIANA  
AVTORITATE INCLYTÆ FACVLTATIS IVRIDICÆ  
PRAESIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO,  
I. V. D. PROF. PVBLICO ORDINARIO,  
& h. t. DECANO

*Patrono perpetuo honoris & obseruantia cultu prosequendo,*  
D. VII. Septembr. A. R. S. MDCC. Horis Ante- & Pomeridianis  
IN AVDITORIO MAIORI  
placida Eruditorum Disquisitioni submittit


IO. SIGISMVNDVS HOLTZSCHVHER,  
de NEVENBVRG & THALHEIM,  
Norib.

---

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP. 1711.







DISCRETIO IURIDICA SOLEMNE

LIBRARIAT

RATHVS

RECTORE

MARCHONBRAND

MARCHONBRAND

LIBRARIAT





### INGRESSVS.



On minima Veterum Germano-  
rum laus est, quæ a scriptoribus hu-  
ius populi rerum gestarum illis vna-  
nimi consensu tribuitur, quod casti-  
tatem & pudicitiam cum primis exer-  
cuerint. Intra annum vigesimum fœ-  
minæ noticiam habuisse, in turpissimis  
habuerunt rebus, vt de illis scripsit Cæ-

far de *Bell. Gall. Lib. 6.* Sera iuuenum Venus, eoque in ex-  
hausta pubertas, nec virgines festinantur; viri singulis vxo-  
ribus contenti sunt, paucissima in tam numerosa gente ad-  
dulteria, quorum pœna præsens, vt & publicata pudicitia  
nulla venia, verba sunt Taciti de *Morib. Germ. c. 18.* Vel, vt  
Horatianis id efferam verbis *L. 4. Carm. Ode 5.*

Nullis polluitur casta domus stupris,  
Mos & lex maculosum edomuit nefas.

Laudantur simili prole puerperæ;

Culpam pœna premit comes.

His ita se habentibus, quis non in admirationem rapia-  
tur, cum tam contrarios & toto cœlo a prioribus distan-  
tes mores hodie vbique regnare cernat? numne illi vitio  
vertetur, si dubitet modernos Germanos a modo laudatis  
maioribus sanguinem trahere, vel si fateatur, eos adeo a  
proavis suis degenerasse, vt rara vel exigua admodum pri-  
stina.

A

stina.



finæ continentiæ vestigia in illis conspiciantur. Nec solum apud priuatos hæc pudicitæ gloria evanuit, sed & inter personas illustres multoties emarcuit, imo laudem fere meruit, plurimum attentasse pudorem, quibus tamen castitatis observatio præcipuum debitum deberet esse, & in ingenuis & illustribus personis spurios nominari iniuriosum, satisque acerbum & nostris temporibus indignum iudicari oporteret, ceu Imperator Iustinianus merito existimat *L. 5. ad St. Orfit.* Debebat sane ita comparatum esse, & debebamus virgines esse, prout illa monialis candide admodum & ingenue de se confitebatur. Verum si praxin & quotidianum rerum cursum attendamus, tot tantosque testes amoris illiciti & delibatae pudicitæ pignora deprehendimus, vt de ipsa rei veritate nulli amplius dubitare possimus. En Illustrium personarum SPVRIOS, non tantum a Principibus, sed & ipsis Regibus, illegitimo modo satos, quorum numerum qui inire conaretur

lcaria numerum dicere vellet aquæ.

Spurios priuatorum nunc missos faciamus, cum illorum crebra satis a Doctoribus iuris Ciu. instituat pertractatio; & tam BENEDICTVS DE BARZIS, LVDVICVS A SARDIS, IOH. BAPT. LVPVS, ANTONIVS DE ROSELLIS, quam CARDINALIS GABRIEL PALAEOTTVS ex professo de illis egerint, quos iunctim in *Tract. Tractatum*, & maximam partem in *Vol. 6. & 8.* reperire licet. *Spuriorum vero Illustrium personarum* iura omnes fere velleuiter & perfunctorie saltem tangunt, vel sicco plane prætereunt pede, cum tamen illa ex priuatorum iuribus non commode aestimari possint, neque ab illis ad hos per omnia sat valida institui illatio queat, eo quod illustrium Spuriorum multo maior sit fortuna & felicitior fors præ illis. Quapropter non omnem operam & oleum



## INGRESSVS.

oleum me perdere arbitratus sum, si valedicturus academiis, disputatione quadam publica Illustrium horum Spuriorum conditionem & iura euoluere allaborauero, illorumque causam in presentia gesserō, non vt illiciti eiusmodi congressus, & tam illustria thalami furta colorentur, & pallientur, nec vt in famam Illustrium parentum, qui humani hic quicquam passi sunt, grassemur, sed vt vnice delicti expertibus Spuriis iura debita asserantur. Misericordia quippe & fauore potius digni sunt, quam pœna, eiusmodi innocentes partus, qui vitio alieno laborant, nec auxilia iuris illis deneganda, imo nec leuis notæ macula notandi, quorum nulla culpa, nullum plane delictum. Insignem hanc in rem testem & strenuum eiusmodi prolium defensorem profero Sanctum Patrem & aurei oris Doctorem Chrysostomum, qui *homilia tertia in Mattheum* hæc notabilia habet verba: *Nunquam de vitiis erubescamus parentum, sed unum illud queramus, & amplectamur, virtutem videlicet. Non est omnino nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus: nemo inde vere obscurus aut clarus est: imo etiam (si quiddam a communi opinione abhorrens dicendum est) nescio quomodo ille magis resplendet, qui ex parentibus a virtutibus profusus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.* Relatus hic integer locus est in ius Canon, *Can. 4. dist. 56.* Tanti Patris auctoritate inductus, eo alacrius hoc thema aggressus sum, Cuius elaboratio si desiderium & votum tuum B. L. non adimpleat, nec in omnibus debito modo versatus fuero, argumenti grauitati id facile condonabis, quippe quod longo rerum vsu edoctum scriptorem efflagitat. DEVM vero Optimum Maximum pro felicissimo laboris suscepti successu & continuatione gratiæ suæ vberrimæ supplex & submisso animo imploro.



De Liberis Naturalibus in genere &  
variis illorum diuisionibus.

## SVMMARIA.

- D**iuiso liberorum n. 1.  
Explicatur 2.  
Naturales describuntur in genere 3.  
Num hodie dentur naturales tantum? 4.  
Negatur iure Canon. 5.  
Et legibus imperii 6.  
Hinc Electorum Principumque liberi naturales non dantur. 7.  
Quid in summis Regibus? 8.  
Negatur itidem (1) quia concubitus est contra ius natura 9. 10.  
Et (2) quia iure diuino prohibitus. 11.  
Ratio rubrica disputationis exponitur. 12.  
Liberi naturales Regum Principumque an a spuris differant? 13.  
Quinam sint liberi nec legitimi nec naturales? 14.  
Omnes liberi extra matrimonium nati sunt illegitimi. 15.  
Matrimonium legitimum describitur, 16.  
Num Hierologia hodie sit de necessitate? 17. seqq.  
Quid si filius ex desponsata ante benedictionem sacerdotalem natus sit? 22. 23.  
Principes an ad Hierologiam adhibendam sint adstricti? 24. seq.  
De matrimonio ad Thalac seu conscientie. 27. 28.  
Inter Christianos Principes est illicitum sit 29.  
Quid si matrimonium clam contractum, sed publice negatum? 30. seqq.  
Non sunt illegitimi liberi, quos quis cum propria uxore, quam ut alienam cognouit, genuerit. 36. seqq.  
Nec hoc nomen merentur liberi quoad formam patri dissimiles. 41. seqq.  
Liberi expositi sunt legitimi 44. seqq.  
Non omnia, cuius pater incertus est, pro spurio habendus 49.  
Declaratur exemplis 50.  
Vocantur terra filii. 51.  
Vera descriptio Spuriorum 52.  
Conclusio capituli 53.



IN GENERE ET VARIIS ILLORVM DIVIS. 5

**S**icut inter priuatos summa liberorum diuifio est, quod  
aut sint naturales & legitimi, aut naturales tantum, aut  
nec legitimi nec naturales *Nou. 89. cap. 1.* ita quoque inter  
personas illustres eadem distinctio intuitu liberorum suorum  
obtinere potest. Naturales autem & legitimi illi vocantur,  
qui ex iusto & legitimo matrimonio procreati sunt; naturales  
tantum, qui ex legitima concubina nascuntur; nec legitimi  
autem nec naturales omnes illi audiunt, qui ex quocunq[ue]  
coitu præter hos duos recensitos modos facti sunt. De primi  
generis liberis, qui ex honesto thoro orti sunt, illorumque di-  
gnitatibus, priuilegijs & iuribus omnes iuris publici DD. ubi-  
que agunt, ad quos B. L. remissum volumus. Naturales quod  
attinet, quique etiam Bastardi vocantur, arg. *L. 67. ff. de R. I. Ac-  
curs. in Gloss. rubr. de concub. & L. fin. C. de Nat. Lib. & Decius conf. 433.  
n. 14.* proprie ex vxore vsuraria, ceu Plautus in *Argum. Amphitru-  
on.* illam vocat, descendunt, & solum ex concubinis nascun-  
tur.

Exsurgit autem hic primo omnium quæstio præiudicialis, an  
ei ismodi liberi naturales hodie adhuc dentur, & annon concu-  
binatus vbique Gentium sit abrogatus, quo posito sequeretur,  
quod internaturales liberos & spurios nulla amplius superesset  
differentia. De iure ciuili concubinatum permiffum fuisse con-  
stat ex *L. vn. C. de Concub. iure vero canonico improbatu* ille vi-  
detur, *c. audite charissimi dist. 34. c. 5. Concubina 32. q. 2. c. nemo 23.  
qu. 4.* Conf. B. DN. Linckius, quondam Præceptor meus & Ho-  
spes, post cineres colendus, in *Commentar. ad Decretales Lib. V. tit.  
XVI. §. 7.* ubi ad dissentientes Textus respondet. Postmodum  
legibus imperii hæc coniunctio pariter prohibita est, ceu patet  
ex *Ord. polit. de anno 1548. Tit. 26. Kitzel d. Matrimonio Cap. IX. ib. 3.*  
Cum itaque Recessus Imperii omnes Electores & Status Imperii  
obligent, propter conuentionem & mutuum consensum, vid.  
Per illust. Dn. de Rhez in *Inst. iur. P. Lib. 2. Tit. 24. §. 22.* sequitur,  
& in Imperio nostro liberos naturales, qua tales, non dari, cum  
concupinatus in totum sit sublatus. Sed dixerit quispiam, pro-  
pre-



## 6      CAP. I. DE LIBERIS NATVRALIBVS

pterea tamen Regibus & Principibus exteris concubinas habere  
 non esse interdictum, cum illi nostris legibus viuere non teneantur?  
 Ita sane videri posset, si nullum aliud impedimentum obstar-  
 9 ret, quam sola prohibitio legis ciuilibus, verum si certum, omnem  
 propagationem generis humani, citra leges connubii, esse contra  
 ius naturæ, sicuti illud demonstrat Dn. Pufend. *de L. N. & G. Lib.*  
*VI. c. 1. §. 5.*, etiam concubinatus illo iure erit prohibitus, & sic  
 10 nec inter Reges liberi naturales darentur. Quod vero dixi,  
 iure naturæ concubinatum esse illicitum, id quidem nunc deducere  
 pluribus, non est animus, qui contentus sum rationibus a  
 Pufendorfio adductis. Illud tamen ad tollenda dubia addidisse  
 necessum existimo: Non esse, quæ sancita de concubinatu repe-  
 riuntur iure ciuili, applicanda ad ius naturæ, cum concubinatus  
 iuris ciuilibus Romani, a matrimonio naturaliter nisi solo nomine  
 non differat. Hinc animaduerti, dissentientes sæpe concubinatum  
 de iure naturæ ita describere, vt reuera sit matrimonium, & sic,  
 quæ rationes in contrarium afferuntur, non faciunt pro iustitia  
 concubinatus, sed matrimonii. Imo, si dicendum, quod res est,  
 concubinatus naturaliter a vaga libidine non differt, hanc au-  
 tem rationibus naturalibus aduersari, plerique consentunt, vel  
 si qui non confiteantur, eorum tamen rationibus facile satisfieri  
 11 posse reor. Iure sane diuino nulla alia societas corporum permit-  
 titur, nisi in coniugio diuinitus instituto, hoc honorabile coram  
 Deo, angelis & hominibus. Ceteras coniunctiones execratur  
 Deus, detestantur omnes pii, vid. B. DN. Brunnem. *in Comment.*  
*ad Cod. Tit. de Concub. n. 4.* Paulus siquidem *1. Cor. 7.* fornicatio-  
 nis vnicum remedium præscribit coniugium. Quod si con-  
 cubitus fornicatio non esset, eum vna cum coniugio nominasset,  
 nec fornicationi immediate opposuisset solum coniugium, vid.  
 Arnif. *de iure Connub. p. 289.* Hinc cum de iure diuino res manifesta  
 sit, frustra nos Christiani de iure Naturæ sumus hac in parte sol-  
 12 liciti. Deinde nec hoc sensu filii naturales proprie sic dicti ho-  
 die amplius dantur, cum vix centesimus omnia illa requisita ob-  
 seruet, quæ de iure Ciu. ad Concubinatum pertinebant, illo enim  
 iu-



IN GENERE ET VARIIS ILLORVM DIVIS. 75

iure requirebatur (1) consensus concubinarius, (2) quod fit tali mulier, cum qua non committatur stuprum, (3) quod fit talis cum qua non committatur, adulterium, (4) quod fit vnica, (5) quod vir eam in domo retineat, (6) quod fit talis, quæ possit esse vxor, quæ singula videbis, si placet, apud Farinac. *Q. 138. n. 8.* Eckolt. *ad ff. b. t.*

Sed ne inane disputationi nostræ Rubrum præposuisse videamur, cum hæctenus probatum dederimus, hodie nullos dari filios naturales, per naturales liberos illos intelligimus, qui a Regibus & Principibus extra matrimonium ex certis concubinis de facto gignuntur, & pro suis liberis reputantur, in quo a ceteris iniuste quæ sitis liberis differunt, qui vel patrem ignorant, vel non libere nominare possunt, de quibus mox videbimus. Sunt ergo reuera liberi naturales Regum Principumque diuersi a spuris pluribus in capitibus, vti ex tota hac dissertatione patebit; sed ratione legitimitatis, vt ita loquar, non differunt, cum non minus ille coitus sit illegitimus & turpis, ex quo nascuntur spurii, propter eandem, vt modo dixi, iuris diuini prohibitionem.

Progredimur nunc ad tertiam classem liberorum, quos nec legitimos nec naturales appellauimus, veniuntque sub hac appellatione omnes illi, qui ex illicito coitu præter hos duos modos nati sunt, vel quorum pater de facto incertus est, vel, vt Plautus loquitur, qui Conuenis Patribus nati sunt, & ob id patrem demonstrare non possunt, proptereaque *ἀπαρόγοι* dicuntur, §. 12. *I. de Nupt.* sicque huc referri possunt *Adulterini*, qui nempe ex violato thoro proueniunt, quos ius Can. Nothos appellat, *Incestuosi*, qui ex linea transversali in gradu prohibito nascuntur, *Nefarii*, qui ex linea ascendenti vel descendenti orti sunt, ceu Accursius hanc differentiam notat *ad Rubr. C. de incest. Nupt.* quauis hæc nomina promiscue quandoque capiantur, & nefarix ac incestæ nuptiæ pro eadem re sumantur, exemplo §. 1. *I. de Nupt. & L. 88. ff. de rit. Nupt.* Hinc ex hæctenus dictis patet, solos liberos legitimos in matrimonio iuste inito procreari, omnes autem aliunde & extra hoc foedus connubiale editos, regulariter pro ille-



## 8            CAP. I. DE LIBERIS NATVRALIBVS

illegitimis reputandos esse. Diximus *in matrimonio iuste inito*. Est  
 vero tale, quod non solum mutuo & legitimo vtriusque contra-  
 hentium consensu constat; sed etiam secundum formam in qua-  
 17 runcque prouincia receptam celebratur. Inde quæritur, an Hie-  
 18 rologia præcise sit adhibenda, vel num illa sit ordinatio mere hu-  
 mana? Sane benedictionem sacerdotalem ad matrimonii sub-  
 stantiam non pertinere, quisque facile perspicit, nec de iure Ciui-  
 quoque illa necessaria erat, dum hoc iure solus consensus ad nu-  
 ptias contrahendas sufficiebat, *L. 30. ff. de R. I. & L. 9. atque 22. C.*  
 19 *de nupt.* nec Iure Diuino hæc benedictio vllibi mandata; Vnde  
 est, quod in Belgio coram Secretario & testibus nuptiarum solummo-  
 20 do contrahantur, omissa penitus hac benedictione. De iure  
 autem Canon. necessaria illa omnino est, ita vt sine ea legitimum  
 21 matrimonium non contrahatur, *C. Aliter 1. C. XXX. q. 5.* quod ius  
 etiam mores nostri sequuntur, & per ordinationes ecclesiarum  
 & Consistoriorum hæc benedictio semper exigitur, ita vt hodie  
 inter Christianas respublicas nulla, Belgio, ni fallor, solo excepto,  
 superfit, vbi hæc Hierologia non sit recepta & legibus ecclesiasti-  
 cis iniuncta, vid. Petr. Muller *Diss. de Hierolog. scilicet. 1. th. 4.* Illu-  
 stris DN. Stryk. *in not. ad ius eccles. B. DN. Brunnem. Lib. 2. c. XVI.*  
 22 *§. 6. p. 586.* Ex quo prono alueo fluit, quid sentiendum, si inter  
 desponsatas personas concubitus interuenerit, ita vt filius ante  
 benedictionem sacerdotalem nascatur, quando forsitan propter  
 mortem vel absentiam alterius coniugis copula sacerdotalis prius  
 non consummari potuerit, & quid de eiusmodi partu iudican-  
 dum, num pro legitimo vel illegitimo habendus, & num per con-  
 23 sequens successionis sit capax? Decisio clara ex ante dictis, quod  
 de iure ciuili & legitimum & successionis particeps sit, quia de  
 illo iure matrimonium omnia sua requisita habet, & hinc ad  
 successionem ciuilem admittitur, non vero ad statutariam, v. g. ad  
 res expeditorias, geradam &c. DN. Stryk *in Tr. de Success. ab intest.*  
*Diss. 1. c. 2. §. 49.* DN. Brunnem. *in Iur. Eccles. loc. cit.* ibique DN.  
 24 Stryk. Hopp. *in Comment. ad Inst. Tit. de nupt. p. m. 87.* Stringit au-  
 tem hæc benedictio sacerdotalis non modo priuatos & inferiores,  
 sed ipsi Reges & Principes in conscientia obligantur ad illam ad-  
 hi-



IN GENERE ET VARIIS ILLORVM DIVIS.

adhibendum, quatenus hæc ceremonia in illorum regnis & provinciis recepta, cū nihil iuri diuino aduersi hæc constitutio ecclesiastica disponat, & principes suo exemplo ordinem in ecclesia conferuare teneantur, quapropter, neglecta hac sacerdotali benedictione liberi ex clandestina quadam vxore suscepti merito pro illegitimis reputantur. Verum his ipsis grauius ob stare videtur, quod Hierologia demum legibus humanis introducta, quibus soluti sunt Principes. Ast vt hoc in genere largiar, hoc tamen casu vix est, vt argumentum hoc procedat, postquam communiter placuit Regibus ac principibus, huicritui se submittere, & communi consensu eundem approbare, ita vt omnes liberos, extra matrimonium hoc ritu celebratum natos, a successione in Regnum & Principatum repellere soleant, vt ita necessitas Hierologiae inter Christianos Principes sit quasi iuris gentium reddita. Eiusmodi clandestinae nuptiae quondam initae fuisse dicuntur a Carolo II. Rege Angliae cum Lucia Valters concubina sua, e qua postmodum genitus Iacobus Dux Monmuthii, qui ex eo fundamento coronam Anglicanam prætendebat, sed loco coronae securim a Iacobo II. Anno 1685. accepit, ipsa die Iacobi: Quam rem his versibus delineauit Poëta:

Du wusstest/ daß kein Reich zwey Sonnen leyden kan/  
Doch span dein Abergiz ein liederlich Gewebe/  
Drumb bindet dich ein Beil/mir diesen Worten/ an:  
Stirb kleiner Jacob stirb/ damit der Große lebe.

Non abs re erit mentionem hic facere matrimonii cuiusdam, quod Orientis gentibus admodum frequens est, quod illi matrimonium ad Thalac appellant, vi cuius fedus coniugii cum certa quadam vxore, pangunt, illamque retinent, quamdiu illis placuerit, postmodum illam a se dimittunt. De validitate & legitimitate huius connubii non credo esse ambigendum, cum solennia ex more cuiusque gentis adhibita sufficiant, quæ in hoc casu adesse finguntur, neque indiuidua vitæ consuetudo absolute iuris Naturæ dici possit. Excell. Dn. Thomafius in *Instit. Iurispr. diuin. lib. 3. c. 2. §. 15. segg.* Quodsi autem inter Christianos Reges vel Principes eiusmodi matrimonium, ceu indigitant, consci-

B

entix,



- entia, Mariage de conscience Gallis dictum, contrahatur, maior de illius iustitia & firmitate dubitandi ratio exsurgere posset, imo hoc pro illicito habere, ob auctoritatem iuris diuini, nulli dubitamus.
- 30 Aliter autem se res haberet, si quis clam, vel in loco remoto, se copulari curet, postea tamen publice in eget aut dissimulet se esse coniugatum, ille conscientiam suam per hanc clandestinam copulationem tranquillare eatenus forte poterit, ne se stupri crimine maculasse dici queat.
- 31 Interim eiusmodi matrimonia tutius intermittuntur, & cum tenerrima res sit conscientia, rectius ab illis abstinetur. Quod si tamen graues & praeagnantes adfint rationes quae copulam publicam accedere vetent, etiam illa conscientia familiae foedera iniri posse nullus dubito, & multa in variis locis hoc modo contrahi curiosius inquirentes facile deprehendent. Fufius de his agit Feltman. *de impari matrim. part. I. c.*
- 32 *l. n. 1400150.* Venetijs liberi ex eiusmodi matrimonio ad Thalaac. procreati inter illegitimos referuntur. Palzottus tamen existimat, illos inter legitimos commode recenseri posse, si matrimonium secundum solennia cuiusque gentis initum fuerit, vid. eius *Tr. de Spurijs & Notbis cap. 17. §. 8.* Myler. ab Ehrenbach. *in Gamolog. cap. 6. §. 11.*
- 33 Ponatur autem, illustrem quandam personam cum foemina quadam conuersari familiaris, ita ut post longam amicitiam filium ex illa tollat, quod cum ille comperit, statim publice declarat, se hanc pro vxore sua legitima semper agnouisse. Quae ritur quid statuendum, & inter quos, legitimos vel illegitimos, partus hic erit collocandus? Ne haec quaestio otiosa & inanis videatur, illius utilitas se ibi potissimum exferere potest, num in illo Regno vel prouincia succedere possit, vbi legitumati per S.
- 34 M. arcentur. Incertum quidem est, num vnquam verum & purum matrimonium in hoc casu interuenerit, nec probatio aliunde haberi potest, quam ex his duobus coniugibus, qui tamen ambo
- 35 testes in propria causa sunt, nihilominus cum ad minimum conditionatum matrimonium initum fuisse omni dubio careat, hoc vero quamprimum foemina grauida facta fuerat, purificatum sit, in super fauor concurrat, cui adhuc praesumptio euitandi criminis *L. merito 51. ff. pro socio.* & vtriusque confessio, quae omnem exsu-



IN GENERE ET VARIIS ILLORVM DIVIS. II

perat probationem, accedit, & in dubio potius pro matrimonio quam pro stupro pronunciandum, *L. 24. d. R. Nuptiar.* pro legitime nato videtur esse reputandus. Curiosa hic non minus quam necessaria incidit quaestio, quam stylo ingeniosissimi Vatis Britannici Ovveni, *L. 1. Ep. 8.* proponemus.

Cum propria imprudens coniux vxore coiuit,

Quam falso alterius credidit esse viri.

Hoc genitum coitu Consulti iuris & æqui,

Legitime natum dicitis ane Nothum?

Problema hoc solutione eo magis in præsentia dignum, cum in hac disputatione de illegitimo partu agamus, vt sic huius quoque rationem habere summo iure debeamus. Casus eo recidit, an quis cum propria vxore, quam alienam putat esse feminam, committat adulterium, numque ex hac copula genitus partus legitimis sit accensendus vel nothis? Exempla huius rei pro dolor obuia esse, historiarum monumenta satis edocent. Inter multa solum allegasse sufficiat, quod decus patriæ nostræ B. Harsdörfferus in *Theatro historiarum selectarum* adduxit de molitore quodam qui fœminæ cuiusdam amore flagrans cum illa ad explendâ libidinem suam de loco & tempore conuenerat. Fœmina omne negotium molitoris vxori confitetur, quo illa mutatis vestibus proprio coniugise posset exhibere, & sic vtriusque crimen auertere, quod etiam felicissime successit, vt maritus se egregie fatiatum falsus sit, quamuis insigniter delusus fuerit. Alia exempla tacebo, quæ in Bacchanalibus inter personas illustres quoque, per larvam deceptas, non infrequenter contigere. Transeamus potius ad decisionem controversiæ, & inquiramus, num adulterium reuera sit commissum, & per consequens partus ex hoc coitu susceptus adulterinus æstimandus? De foro interno nullus dubitationi locus superest, hunc pro adultero habendum; quicumque enim *aspexit vxorem ad concupiscendam eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo, Matth. 5. v. 28.* Deus siquidem non solum puram corpus ab illicitis congressibus, sed & puram animam a prauis concupiscentiis exigit. Agnouerunt hoc quoque Ethnici, vt hinc Seneca dicat: *Siquis cum vxore sua tanquam aliena concumbat, adulter*



- 39 erit, quamuis illa adultera non sit; de *Constant. Sap. cap. 7.* Secundum autem forum externum adulterium proprie peractum esse nullatenus dici potest, cum alienus amor minime intercesserit. Obtinet etiam hic tritissima illa regula: Plus valet quod in veritate est, quam quod in opinione, §. 11. *I. de Legat. & veritas non opinio in delictis spectatur, vid. Dn. Pufendorf. de I. N. & G. L. l. c. 7. §. 16.* Dn. Stryk. *Tr. de iure Sens. diff. X. cap. 6. n. 52. & in disp. de foro conscient. cap. V. n. 132. & seqq.*
- 40 Euicto sic, adulterium nullum hic patratum esse, partus quoque non adulterinus dici valebit, quia ob cessantem causam cessat effectus, & fauor partus tantus est, vt licet in congressu hoc aliquid vitii subsit, hoc tamen
- 41 partui nullum præiudicium afferre possit. Subiungamus aliam themati nostro non aduersam quaestionem, num non ex dissimilitudine partus pater possit argumentum ducere de læsa pudicitia & fide vxoris? Ait enim Horatius: *Laudentur simili prole puerperæ*, & Theocritus *Idyl 17.* adulteræ vxoris argumentum facit, liberos patri dissimiles: cui exasse concordat Phocylides Poëta:

*Dissimiles gignunt suprata cubilia natos.*

- Ita refert Alciatus de Iacobo 2. Plumbini Duce, quem Volaterranus Populini in Hetruria Ducem appellat, concubinam cum ex se grauidam putaret, illum ad baptismam nascituri pueri vicinarum regionum Principes & ciuitatum Legatos conuocasse, vbi tandem partus nigra face editus prodibat, coquo Ethiopi quam simillimus; cumque mater quaestioni subiiceretur, illa furtiuos concubitus confessa, & principem credulum hoc modo omnium ludibriis exposuit. *Volaterr. in descript. Ital. p. m. 41.*
- 42 Alciatus in *L. quæret. 135. ff. de V. S.* Verum fallax admodum & periculosum hoc indicium esse quisque facile nobiscum affirmabit, qui in causas huius dissimilitudinis accuratius inquirat. Illud enim quod liberi parentes suos formæ similitudine non semper referant, potius ex imaginatione quadam proficiscitur quæ animo mulieris in ipso concipiendi articulo occurrit, vt æque ex hac infanti eiusmodi character imprimatur, quam ex participatione amoris cum aliena persona. Quapropter crebrius contingit, pueros picturis euadere similes, quarum aspectu matres delecta-



IN GENERE ET VARIIS ILLORVM DIVIS. 13

ri solent, Plutarch. *de placit. Phil.* Quare factum vt etiam ab corruptæ pudicitiz femina partus atro colore editus esset, propterea quod Æthiopsis effigies penes lectum collocata erat, quam illa in concipiendo fœtu attentius intuebatur. Speidel. *in Speculo Iuridico voc. Rindel* / p. m. 692. b. Hoc modo euenit, vt innocentia suspectæ cuiusdam vxoris assereretur, sicuti Hieronymus *in Genes.* de deformi quadam muliere narrat, cui maritus eiusdem gratiæ & formæ erat, interim illa filium elegantissimum peperit. Hanc obrem cum apud omnes adulterii nomine suspecta esset, ab hac culpa liberata fuit consilio & sapientia præstantissimi illius medici Hippocratis. Is enim iussit perquiri, num in cubiculo extaret insignis quædam pictura, puero recens edito similis: qua reperta, mulierem flagitii suspitione carere demonstrauit. Magnam imaginationis virtutem esse probe intellexit Patriarcha Iacobus, qui vt versicolorem gregem haberet, in canalibus variegatas virgas ponebat, vt tales fœtus progignerent quales erant virgæ, quas in Aqua pecora contemplabantur, *Genes. 30. v. 37.* Augustin. *Lib. de Ciuit. Dei* Quare nemo facile ob solam hanc rationem quempiam ex alieno toto procreatum iudicabit, & tam debili argumento vllam fidem habebit, cum experientia teste constet, filios adulterinos magis ad similitudinem mariti, quam patris veri accedere, eo quod flagitiosa mulier in perpetuo metu versetur, ne ipsos maritus in flagranti crimine deprehendat, & sic hanc effigiem infanti quasi imprimat, vid. Iac. Butr. *in L. f. C. de arb. Edict. Zach. Quest. Medic. Legal. L. 1. r. 5. qu. 4.* Mascard. *de probat. voc. matrim.* Crusius *de Indiciis delictorum & alii.*

Antequam huic capiti præliminari finem imponamus, dubia nonnulla eliminanda erunt, quæ cuiuspiam occasione superioris allatæ assertionis subnasci possent, quando diximus, Spurius esse, quorum pater incertus est; quod si enim quis subsumeret, liberi expositi patrem suum itidem ignorant, ergo inter illegitimos & Spurius quoque numerandi, nimis duram & acerbam exculperet conclusionem. In dubio enim vniuscuiusque natales honesti existimandi sunt, *L. 9. & 16. de R. I.* dein expositi ad sacros ordines, ad dignitates ecclesiasticas aliaque publica munera recte



44 CAP. I. DE LIBERIS NATVR. IN GEN. ET VAR. &c.  
possunt promoueri, quod sane euidens indicium est, illos legiti-  
46 mos esse, vel tamen pro iis publice haberi. Et licet sane quando-  
que contingat, meretrices & scorta liberos suos exponere, fieri  
tamen etiam solet, vt ob penuriam victis, vel aliud infortuni-  
um, legitimi parentes liberos suos exponant, vt aliunde commo-  
dius sustententur, & educantur. Accedit hifce *L. 1. 2. & 3. C. de*  
47 *inf. expos.* vbi dicitur, quod pater qui liberos exponat, in illis  
ius patriæ potestatis amittat, quod satis manifeste indicat, filios  
hos legitimos esse posse, nam in illegitimos pater non habet ius  
48 patriæ potestatis. Fieret profecto hoc modo atrocissima iniu-  
ria Semiramidi, Cyro, Mofi, Paridi, Oedipo, tot tantisque illu-  
stribus Nominibus, quorum honesti natales minus constant, ni-  
hilominus tamen ob aduersam sortem aliorum misericordiæ &  
fatorum arbitrio expositi fuerunt. Quadrat in hos liberos opti-  
mo iure decantatum illud brocardicum: Illis non ius deficit, sed  
probatio, quisnam sit genuinus pater, arg. *L. duo sunt Titii, 30. de*  
*testam. tut.* Hinc etiam in dubio eiusmodi expositum infantem  
potius pro legitimo, quam pro spurio habendum existimo. Nam  
in dubio potius pro partu benignior interpretatio capienda, per  
49 notissimam iuris regulam. Apparet itaque hanc propositio-  
nem: Spurius est cuius pater incertus est, non esse conuertibilem,  
50 nam non omnis ille, cuius pater latet, est spurius, quoniam enim  
quæso sunt, quorum genus ignoratur; Emilianus Imperator,  
ignotis parentibus & patria, Romæ imperauit. In re ecclesia-  
stica non ignotum nomen est Melchisedeck, cuius genus Scri-  
ptura non edisserit, is sacerdotio tam sancte est functus, vt sacri-  
ficii typus ab eo proprie ducatur, *Genes. cap. 14.* Inter pontifices  
quoque a Palæotto *cap. 63.* ponuntur Christophorus I. Bonifacius  
VII. Iohannes XIX. Dionysius I. & Leo V. quod illorum genus  
ignoretur, vid. Rutgerus Ruland. *de Commissar. Lib. 1. cap. 7. per tot.*  
51 Solent hi propterea a quibusdam terræ sibi appellari, eo quod  
52 terra sit communis omnium parens. Quapropter illos solum  
spuriorum nomine intelligimus, de quibus clarum, euidens & in-  
dubitatum est, quod extra matrimonium nati & nullum certum  
53 patrem habeant. Sed de his omnibus prolixior haud dubie esse  
pos-



CAP. II. DE IVRE LIB. NATVR. REG. ET PRINC. &c. 15  
 possem, nisi multa quoque inferius huc pertinentia occurrerent,  
 mihi que animus esset, non tantum de liberis naturalibus & spu-  
 riis in genere, sed potissimum de liberis Regum, Principumque  
 naturalibus, dissertationem conscribere. Adeant quibus volu-  
 pe est plura hac de re discere, Autores in præfamine citatos, ali-  
 osque, qui sparsim in suis scriptis hac de re fuse satis egerunt.

CAPVT II.  
 De Iure Liberorum Naturalium Re-  
 gum & Principum intuitu digni-  
 tatis.

SVMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| <b>I</b> ngressus n. 1.  | lustres 19.   |
| An liberi naturales sint insa-<br>mes? 2.  | An Presbyteres fieri possint? 20.<br>seqq.  |
| Rationes affirmantium. 5. seqq.  | An prebendas accipere? 24. seqq.  |
| Reiicitur illa sententia & negatiua<br>defenditur 7. seqq.                                   | An Canonicatus? 28. seqq.   |
| Quomodo spurius non possit esse te-<br>stis omni exceptione maior 9.                         | An Episcopi fieri queant? 31. seqq.   |
| Parentum delicta liberis nocere ne-<br>queunt. 10.   | An Cardinales? 34. seqq.  |
| Explicatur L. 27. C. de inoffic. 12-<br>stam. 11.  | An Pontifices? 44. 45.  |
| Probatur sententia textibus iuris<br>Canon. 12. seqq.  | Transitus ad officia secularia 46.  |
| Demonstratur exempla, quod liberi<br>naturales ad magnas dignitates<br>aspirauerint. 15. 16. | An liberi illegitimi nobiles esse pos-<br>sint? 47. 48.   |
| Exempla ex historia sacra 17.  | Quid in illegitimis, Illustribus? 49.<br>seqq.  |
| Profana 18.  | Quid in liberis naturalibus Princi-<br>pum imperii, & an sola declara-<br>tione patriæ, sine priuilegio Impe-<br>ratoris, sine priuilegio Imperatoris,<br>nobiles fieri possint? 61.<br>seqq. |
| Transitus ad liberos naturales 11-   | An naturales liberi Doctores fieri<br>possint. 69. seqq.  |

An



*An Assessores. 71. seqq.**An iudices. 73. seqq.**An Legati 75. seqq.**An Electores 78. seqq.**An Imperatores 81. seqq.**Concluditur caput cum questione :**An naturales ad Torneamenta**admittendi? 84. seqq.*

- 1 **I**nquisituri in præsentī capite in honores & dignitates, ad quas  
liberi naturales iure adspirare poterunt, & visuri in quibus de-  
2 terioris conditionis sint a legitimis Illustrium personarum libe-  
ris, primo omnium quæstio hæc examinanda mihi videtur, *num hi*  
*illegitimipartus infamia laborent, & num ob natiuitatem sinistram macu-*  
*la quadam adpersi sint?* Constat enim portas dignitatum infamibus  
clausas, & ad honores, illegitimos promouendos non esse, *per*  
*L. 2. C. de dignit. lib. 12.* Hoc fundamento posito, plurimæ deinde ex  
3 eo controuersia & altercationes dirimi ac decidi valebunt. Inua-  
luit sane vbiq; fere locorum hæc communis hætenus opinio, il-  
legitimos filios & liberos vel turpes esse & infames, vel tamen ma-  
cula aliqua adpersos omnique odio ac persecutione dignos. In-  
4 terim si hæc communis sententia accuratius inspicatur, neque  
de iure Diuino, neque de iure Ciuili, neque Canon, infames vl-  
5 lo modo dici possunt. Equidem vrgeri hic solet, quod in sacris  
tabulis *Mæchorum filii abominationi Deo esse dicantur*, *Sapient. c. 3. v.*  
*12. adulterinas plantas non dare radices altas, nec stabilem sedem illas*  
*ponere, imo in decimam vsque generationem ecclesiam Dei ingredi*  
*prohibeantur Sap. 4. 1-6. Deut. c. 33.* Hinc Bonifacius Martyr  
quoque *genus hoc nec bello forte, nec fide constans, nec honorabile ho-*  
*minibus, nec Deo amabile appellat. Can. si gens Anglorum X. dist. 56. &*  
*Sanctus Augustinus, satius esse, reputat, sine liberis desungi, quam*  
6 *ex illicito coitu stirpem querere, per Cap. Sicut. c. 32. qv. 4.* Quibus  
accedit communis Doctorum calculus, Spurium testem omni ex-  
ceptione maiorem non esse, imo nec semiplene probare, & ideo  
duos testes in causa criminali, quorum alter spurius, plenam fi-  
dem non facere. Imo in iure Ciu. etiam frater inofficiosum dicere  
potest testamentum, in quo Spurius heres institutus, manifesto  
documento, quod pro turpi persona habendus. *L. 27. C. de Inof-*  
*fic. test.*
- 7 Nihilominus tamen contrarium, illegitimos omni carere ma-  
cula,



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS.

cula, & rationi & iuri conuenientius esse existimo. Vt enim pri-  
 us de iure ciuili dispiciamus, textus in *L. 6. ff. de Decurionibus* & *L.*  
*3. §. 2. eod.* clare satis indicant, spurios non esse infames, dum ibi  
 Spurio Decuriones fieri posse expresse dicitur, addita simul ele-  
 ganti huius constitutionis ratione, quod non sit impedienda di-  
 gnitas eius, qui nihil admittit, hoc autem nullo modo fieri possët,  
 si infamix labe aspersi essent. Hinc quod de testibus obiectum  
 fuit, Spurium non esse omni exceptione maiorem testem, nec in  
 criminalibus semiplene probare, admittimus de Spurio minus  
 probatæ vitæ, tunc enim propria concurrat culpa, in Spurio vero  
 honestæ & integræ vitæ, illud strenue negamus: nisi rationes so-  
 lidæ in contrarium adferantur, quæ vero plane deficiunt. Cri-  
 men sane paternum nullam maculam filio infligere potest. Nam  
 vnusquisque ex suo admisso forti subiicitur, nec alieni criminis  
 successor constituitur, *L. 36. ff. de Pæn.* ex fornicatione autem & a-  
 dulterio nasci, non filii, sed parentis culpa est, *cap. nasci §. dist. 56.*  
 erga nulla filios inde sequetur infamia, cum ex proprio illa & non  
 ex peregrino delicto oriatur. *Vndecunque homines nascantur, in-*  
*quit Augustinus, si parentum vitia non scilientur, & Deum recte ce-*  
*lant, honesti & saluerunt, can. 3. dist. 56.* Qui locus satis explicat sen-  
 tentiam Augustini, vt sic alter locus n. 15. allatus, nihil ad rem faci-  
 at. Si itaque sunt honesti, quis quæso de illorum fama iniquius  
 sentire audeat, & quis obsecro illos infamia notatos esse propter  
 ratione adiectas statuere sustineat. Nec obstat ex iure ciuili supra  
 allatum dubium ex *L. 27. C. de inoffic. testament.* Quoniam enim in  
 hac Lege Spuriorum nec minima occurrit mentio, & e Doctoribus  
 solummodo tota hæc Quæstio pronata, vt hinc alii in contrarium  
 Doctores illorum rationibus solide responderint, qui propterea  
 adiri possunt, v.g. Hartman Pistoris *Lib. 1. Quæst. 30. n. 26* & Toming.  
*Decis. 48. n. 26.* hinc illud nobis non magnum præiudicium inferre  
 poterit. Loca S. Scripturæ quod concernit, non admodum ista  
 stringunt, nam primus locus *Sap. 3. v. 12.* manifesto loquitur de  
 liberis qui malitiæ dediti, & ex *v. 13.* apparet, agi ibidem de bene-  
 dictione & execratione matrum non infantum. Reliqua loca  
 non asserunt filios Spurios infames esse, sed quod familia ista facie-



18 CAP. II. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

le & cito extirpari debeat, id quod magis fit in pœnam parentum quam liberorum. Conferatur quoque Gratiani interpretatio, quam C. Cœnomanensem 13, dist. 56. adiecit, dum scribit. *Quod dicitur adulterorum filios abominationem esse domino, illud de filiis adulterorum intelligendum videtur, ut illi dicantur esse abominatio domino, ad quos paterna flagitia hereditaria successione descendunt. Et can. 1. dist. ead. subiungitur: hoc intelligendum est de illis, qui paterna inconiuncta imitatores fuerint. Sed ne videatur hæc interpretatio ex solo Gratiani cerebro prodiiisse, ipse Innocentius III. eandem paraphrasin cap. Nisi cum §. persone X. de renunciat: suppedit: Quod scriptum est, inquit, Ego sum Deus Zelotes, vindicans peccata patrum in filiis usque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me, id est in illis, qui contra me paternum odium imitantur. Ex quibus & aliis locis, de industria nunc prætereundis, abunde, ceu arbitror constat, Spurius eos & illegitimos partus tantum a iure notari, qui hereditaria quadam successione paternas sordes referunt, reliquos autem minime tales æstimari.*

- 13 Christus ipse, uti Hieronymus & scriptores sacri annotant, de adulterinis commissionibus natus esse dicitur, nobis magnam fiduciam præstans, ut qualicumque modo nascamur, dum tamen eius vestigia imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cuius per fidem membra effecti sumus, vid. c. Dominus noster §. Dist. 56. cuius tamen rei fides sit penes autorem. Ex hisce & multis aliis rationibus firmiter concludo, Spurius nec infamia facti, nec levis notæ macula laborare, nec illis quæ in potestate illorum non sunt, iure imputari posse, eodem modo sicut cæco, muto vel surdo suus natus & defectus imprudenter admodum exprobratur. Nunquam itaque boni viri Spuriis vitio hac daturi sunt, ubi nulla eorum culpa concurrat, plebeculæ autem imperitæ iudicium insuper prorsus habetur.
- 15 Si hæc ita se habeant, cur mirandum, tam insignes & strenuos viros ex Spuriis extitisse, cum hi insuper adhuc paternam maculam propriis virtutibus semper abstergere allaborauerint, & cur ambigendum amplius illos honestos & integræ famæ esse, cum amplissimis & splendidissimis admoti fuerint sapissime muneribus. Quod si quis per omnem nunc historiam ire vellet, & ex ea singulos illustres



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS. 15

fres hosce Spurijs conquirere gestiret, non exiguam credo illo-  
rum molem breui coaceruaturus esset, cum primis cum non facile  
præcipua quædam familia inueniatur, cui non intermixta fuerit  
generatio quædam inquinata, teste Arnif. *de Republ. Lib. 2. c. 2. sect.*  
*13. n. 30.* Quid quod Scaliger asserere non dubitauit: Maximo-  
rum virorum plerosque patres ignoratos, matres impudicas fuisse,  
*ex 265.* Sunt historiae ecclesiasticæ sui Spurii, habet & profana Vi-  
ros Antesignanos & erubescendis natalibus ortos, ex vtraque duo  
saltem allegabo exempla. Quam non Iephthæ virtus & fortitudo 17  
decantata est, qui tamen meretricis filius fuit, *Judic. XI. v. 1.* Al-  
banus Martyr fuit & Vir sanctissimus, licet ceteroquin ex incestu  
patris cum filia natus dicatur. Quanti non fuerunt Heroes Her- 18  
cules, Alexander M. Romulus, Seruius Tullius, Timotheus, The-  
mistocles, & sexcenti alii, qui omnes ex illicita Venere ortum su-  
um traxisse dicuntur? Nec steriliora sunt nostra tempora hac sobo-  
le, ita vt vna quæque prouincia, vnum quodque regnum, proli-  
xum admodum sine omni pœna eiusmodi prolium edere possit  
catalogum, quæ omnes ex illustri thalamo in hanc vitalem auram  
prodierunt.

Hinc merito nunc ad Spurijs hosce digniores, Ius, quod cir- 19  
ca illos obtinet, a prærandum, tanquam rem quæ frequenter & facile  
euenit, sicuti ICI monent, in *L. 3. 4. 5. & 6. ff. de LL.* Cumque in  
præsenti capite de dignitate liberis naturalibus Magnatum com-  
petente agamus, omnes functiones in duas classes diuidemus, Ec-  
clesiasticas & Ciuiles, quidque in singulis iuris sit dispiciemus,  
in vnoquoque genere per gradus ambulando. Quare si contin- 20  
geret filium naturalem illustrem muneri sacro præfici velle, *v. g.*  
*Presbyterum fieri, quæritur, num Presbyter fieri possit?* Et fatendum,  
munera sacra peculiare quid habere præ ciuilibus, quippe in illis  
absolute legitimi exposcuntur natales, nullusque illegitime na-  
tus ad minimam dignitatem ecclesiasticam promoueri potest, par-  
tim ob dignitatis eius prærogatiuam, partim quod dignitates hæ  
aliorum magis, quam propria causa concedatur, partim quod  
paternæ adhuc incontinentiæ crimen in his liberis metuitur, *cap.*  
*Literas X. de fil. presbye:* Hinc regulariter illegitimi omnes siue sint 21



20 CAP. II. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

ex plebeia propagine sati, siue ex Illustri stemmate orti, a sacris officiis excuduntur, per *t. t. X. de fil. presby. ord. vel non*, nisi vel monasterium ingrediantur, ordinesque suscipiant, vel a Pontifice ad Prælaturas dispensati, ve etiam ab Episcopo ad minores ordines, seu ad beneficia simplicia & non curata veniam & indulgentiam impetrauerint, vid. Artner in *Nucl. Iur. Canon. tit. de fil. pres-*

22 *by. non ord. Dessel. in Erotem. Iur. Can. tit. eod.* Hoc cum pontificio iure apertum satis sit, mitior tamen forsitan apud protestantes sententia obtinebit, & apud illos Clericus quis & Pastor enadere poterit, licet natalibus illegitimis gaudeat? Dubitat quidem D. Dannhauser. in *theol. Conscient. P. 2. Diat. 3. sect. 4. qu. 3.* argumentum a minori ad maius faciendo, cur ille ad suggestum admittendus, qui ad su-

23 trinam non admittitur. Certe sacris literis nusquam eiusmodi Lex illegitimis liberis constituta reperitur, vt hinc credibile & æquum admodum sit, eiusmodi liberos naturales, maxime si vitium natalium eruditione & pietate emendauerint, ad functiones sacras promoueri posse, præcipue in illo loco, vbi de vitio natalium non constat, quo sic etiam occasio scandali euitetur. Dn. Stryk. in *Not. ad B. Brunnem. Ius Eccles. Lib. I. cap. V. §. 12. n. 22.*

24 Porro cum clerici & Pastores pro officio suo diuino certos redditus & singulares præbendas habeant, exigente id summa æquitate, vt is qui altari seruit, de altari quoque viuat *1. Cor. 9. v. 13. can. ex his XII. qu. 2. cap. 30. X. de præb. & dignit.* quaestio hic in transitu occurrit, an liberi quoque naturales & illegitimi Pensiones ecclesiasticas obtinere possint? Dubium id quidem videtur ex eo

25 (1) quod sacerdotio grauissima annexa sint onera, vt sunt, frægem Dei erudire, custodire & id generis alia, hinc iustum, vt emolumenta quoque ad illum spectent, qui tam arduis laboribus defungitur, redditus nempe fructus & pensiones. Quia itaque propter onera talia emolumenta ex his ecclesiasticis bonis percipiuntur, consequens vtique est, vt qui incapax sit ad talis onera sustinenda, inhabilis quoque existat ad commoda lucranda. Iam autem illegitimenatos secundum confessionem nostratium diui-



ET PRINCIPVM INTVTV DIGNITATIS.

21

diuinis officiis penitus præesse non posse constat, hinc nec pensionibus, tanquam commodo & solatio sacerdotii, illos gaudere iustitia æquitasque suadent. (2) Quod melioris hoc modo conditionis videantur illegitimi præ legitimis, quod illi de solis commodis tantum participant, hi autem incommoda simul sentire & magnas molestias quoque, quæ in sacerdotio cateruatim inueniuntur, abligurire cogantur. Quicquid autem huius sit, contrarium verius esse iudicio, & illegitimos quoque pensionum ecclesiasticarum capaces arbitror, cum enim illa nihil spirituale secum habeant, sed tanquam mere profanum quid considerandæ veniant, vt hinc etiam laicis concedantur, & sæpe quoque talibus qui omnibus illecebris carnis dediti, nihil plane spirituale ostendunt, cur non illegitimis quoque conferri possent, vt pote cum omnia illa, quæ non spiritualia sunt, recte capere queant? maxime cum & a sacris officiis non absolute arceantur, ceterum. 27  
*n. 23. demonstraui. Quapropter si pensiones, quæ simpliciter super fructibus alicuius beneficii ecclesiastici constitui solent, curate distinguantur ab illis quæ pro titulo Sacerdotii decernuntur, omnis controuersia facile componetur, & ex illa etiam obiectiones contra nostram sententiam prolatae sine vilo negotio solvendæ erunt. Vid. Palæottus in Tr. cit. cap. 58.*

Inter personas ecclesiasticas cum Canonici quoque referantur, intuitu horum pariter quæstio enascitur, *num illegitimi vel naturales ad Canonicatus promoueri possint?* Dictum iam est superius, nullum beneficium ecclesiasticum ab illegitime nato sine Papæ vel Episcopi dispensatione obtineri posse, quare nec Canonicatus. Illegitimos tamen ad Canonicatus ecclesiæ collegiatæ etiam insignis, dispensat Episcopus, ad obtinendos autem Canonicatus in Cathedralibus quidam negant Episcopum posse dispensare ratione illegitimos, alii affirmant; Barbosa autem in *Tr. de Can. & dignit. cap. XIII. n. 26.* has duas sententias conciliat, & decisionem ex *Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 12.* petit, in quò disponitur, omnes Canonicatus ecclesiæ cathedralis requirere aliquem ex sacris ordinibus, facta illorum distributione, ad quos cum non possit Episcopus



22 CAP. II DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

pus illegitimos dispensare, sequi exinde, quod etiam non possit ad beneficia, quæ illos ordines sibi habent annexos: Quare negantes Dd. de iure nouo Concilii Trid. intelligendi erunt, alteri vero de iure adhuc antiquo. De praxi Germaniæ hæc quæstio parum vtilitatis habebit, cum per statuta plurium Capitulorum Illustri solum sanguine cretæ personæ, & quæ Maiores auosque suos legitime probare possunt, ad Canonicatus admittantur. Besold. *de iure Ordin. Ciuium cap. 10. n. 6.* Schepliz *ad consuet. Franckenb. part. 1. tit. 1. n. 20.* Myler *in Gamolog, cap. 23. §. 4.* Id quod non tantum in Canonicatibus maioribus obtinere nouimus, sed & in minoribus, cum & hic ad minimum legitimitas natalium desideretur. Quodsi autem in quibusdam Canonicatibus hæc per statuta non requireretur, tum & spurios admittendos esse, nullus dubito.

Progredimur in dignitatibus ecclesiasticis ad altius nunc fastigium, & disquirimus *an filius naturalis ad Episcopatum posse prouehi?* Regulariter id prohibitum esse, ex antea dictis facile apparebit, vi quorum eiusmodi natus nec ad minores ordines sine gratia superioris admittitur, interim tamen non in dubium vocandum, etiam iure Canon. illegitime natum, si melius ecclesiæ periculo consulatur, ab Episcopatu prohibendum non esse, si videlicet dignus inuentus fuerit, & cæteræ virtutes in eo eluceant, morumque honestas commendabilem faciant. vid. Hæping *de iure insign. cap. 7. §. 3. n. 119.* Nec desunt quoque huius rei exempla; Ita enim HERMANNVS COMES CYLIÆ, sed illegitimus, circa Ao. 1420. in Episcopum electus fuit, prout refert Myler. *in Gamolog. c. 26. §. vlt.* Similiter IOHANNES III. GRIENWALDEN dictus, Iohannis Ducis Bauariæ in Monachio nothus filius, qui insimul Decretorum Doctor & Theologus erat, A. 1422. Episcopus Frisingensis designatus est, prout testatur Wiguleius Hundius *in Metropoli Saluburgensi, Rubr. Episcop. Frising. fol. m. 47.* Sic quoque GEORGIUS Imperatoris Maximiliani I. Filius naturalis, Brixensis & Leodiensis Antistes claruit A. 1544. Henninges *in 33. Archiduc. Austr. part. 2. fol. m. 275.* Maior adhuc felicitas contigit MATTHÆO LANGIO WELLEVRGIO, Maximil. I. Imperatoris ex Lan-



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS 23

Langa Patricia Augustana filio naturali, qui Archiepiscopali non solum mitra Salisburgi ornatus, sed & Cardinalitio Pileo insuper decoratus fuit, sicuti Generosus Dn. Imhof. in *Notit. Proc. Imp. ex Math. Raderi Volum. altero Bauariz sanctæ p. 247.* annotauit, *Lib. 1. cap. IV. § 7. in Not.*

Hoc exemplum cum illustre admodum sit, merito occasio-  
 ne huius quæstio occurrit, *nunc etiam filii naturales Cardinales eua- 34*  
*dere possint?* Referunt Alexandrum VII. Pontificem aliquando  
 ab Hispaniarum Rege rogatum, vt Io. Austriacum, Philippi no-  
 thum, crearet Cardinalem, & illum respondisse, se id facere non  
 posse, eo quod in Collegium Cardinalium nunquam adsciti fue-  
 rint bastardi, prætextu sane potius ciuili, quam vera excusatio-  
 ne. Profecto si illegitimi ipsam Pontificiam dignitatem consequi  
 possunt, sicut mox videbimus, cur non multo magis Purpuratorum  
 Patrum Collegio inseri poterunt, arg. *L. 21. ff. de R. I.* cumque sum-  
 mus ille Antistes e gremio Cardinalium eligatur, necessario sequi-  
 tur, vt si illegitimus ad sedem apostolicam euectus fuerit, quod  
 antea fuerit Cardinalis. Non opus erit vt assertioni meæ stabili-  
 endæ exempla adducam, cum hoc leui negotio fieri posset, si quis  
 omnium Cardinalium natales iuste examinare veller. Quod  
 Cardinalem Palæottum attinet, propterea quod strenuum nimis  
 Spuriorum patronum se gesserit, suspectæ originis Bachouio esse  
 videtur, & propriam causam defendere ipsi creditur, Zahn. *de Iu- 36*  
*re municip. cap. 15 n. s.* iurene an iniuria, alii iudicent? De Card.  
 Welleburgio *vid. supr. n. 33.* Sed quid opus est minutatim hæc  
 conquirere exempla, cum prodigos hic nobis esse liceat, eo quod  
 multo plures extant Cardinales, illegitimis natalibus orti, qui ni-  
 hilominus ob fauentem fortunam & gratiam Pontificum, vel ob  
 ignorantiam & celatam originem ad hoc culmen honoris perue-  
 nerunt. Fuit talis PIERRO FERRICO, Hispanus natione, Tirazona  
 oriundus, qui postmodum Archiepiscopus Patriæ suæ vt & Car-  
 dinalis a Sixto IV. proclamatus fuit, mortuus is Romæ A. 1478.  
 m. Sept. Non melioris fortis erat GABRIEL RANGONE ex antiquo  
 nobili Comitum genere, Comite Guidone seniore, & rustica pu-  
 ella epago Veronensis ditionis prognatus. Designatus is pri-  
 mo



24 CAP. II. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG:

mo Episcopus Albæ a Pontifice Sixto IV. post Agriæ quæ in Hungaria est, tandem intercedente Mathia Rege Hungariæ pileum Cardinalitium accepit. Fatis concessit Romæ 1486. m. Octobr. Similis originis fuit Cardinalis LAVRENTIVS CIBO, Pontificis Innocentii VIII. fratris filius nothus. Factus is Archiepiscopus Beneventi, & postea ab Innocentio VIII. A. 1489. Cardinalis renunciatus, legem mortalitatis expleuit A. 1503. d. 23. Dec. Succedat Cardinalis CÆSAR BORGIA, qui Alexandri VI. Pontificis & Catharina Vanoccia, cum adhuc Cardinalis esset, filius esse creditur. Vid. *il Nipotiame di Roma P. I. L. 2. p. m. 9.* Euectus is An. 1492. in Archiepiscopum Valentiniæ & Episcopum Pampelonæ, & anno sequenti Cardinalis penitus euasit, a qua tamen dignitate postmodum se rursus abdicauit. His hæctenus recensitis & natalibus & dignitate æqualis fuit HYPOLITVS DE MEDICIS, Pontificis Leonis X. fratris Iuliani de Medicis, Ducis de Nemours in Gallia & vidua nobili Urbini illegitimus filius, a Clemente VII. postmodum Cardinalis creatus A. 1529. vt & Vice Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, & Archiepiscopus Montrealensis in Hispania, vitam is cum morte commutauit A. 1535. Sed nec silentio prætereundus IVLIVS DE MEDICIS, postmodum Pontifex sub nomine Clementis VII. electus; erat is Iohannis de Medices A. 1478. filius, Archiepiscopus primitus Florentiæ, dein a Leone X. agnato suo in prima creatione A. 1513. Cardinalis denominatus, vna cum munere Vice-Cancellarii Romanæ ecclesiæ, A. 1523. d. 19. Nou. in solum demum Pontificis euectus; & Clemens VII. appellatus est, debitum naturæ reddidit A. 1534. d. 28. Sept. Testem horum Cardinalium, quod illegitimis orti sint natalibus, adduco autorem des *Cardinals-Huts* qui *parte 2. cap. 18.* hos omnes & singulos sub hac rubrica tanquam nothos recenset, breuemque vnus cuiusque *Προγαφίαν* adiicit. Fides sit penes illum, & onus probationis ab illo exiget, qui horum rationem habere velit. Duo adhuc exempla e Sleidano proferam, qui refert Paulum III. ALEXANDRVM ex filio notho Petro Aloisio, valde adolescentem, & A-SCANIVM, ex filia notha Constantia nepotem, creasse Cardinales; narrat idem post aliquot lineas de Andrea Gritto, Venetorum

Due



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS. 25

Duce, quod ipsi, tempore quo vixit Bizantii, natus sit filius nothus  
 LVDOVICVS, huic Ludouico filius ANTONIVS Episcopus Quin-  
 quescensis erat, quem Pontifex Clemens VII. adiungere numero  
 Cardinalium cogitabat, sed capite ab aduersariis mulctatus hac  
 dignitate priuatus est. Sleid. *Lib. IX. in med. edit. m. in fol. p. 186.*  
 Spero satis a me hoc modo probatum esse, illegitimis quoque li-  
 beris ad Cardinalitium honorem adspirare licere, & friuolam fu-  
 isse excusationem Alexandri VII. ante allatam, quod Collegium  
 Patrum purpuratorum non toleret bastardos.

Omnes nunc dignitates ecclesiasticas percurrimus, quas 44  
 naturales & illegitimos quoque exornasse conspeximus, restat vl-  
 timum & summum honorum sacrorum culmen, ipsa nempe sedes  
 pontificia, cuius quoque spurios participes factos fuisse, C. Osius 2. *dist.*  
*56.* euidenter nimis indicat, vbi nouem Pontifices enumerantur,  
 qui filii presbyterorum fuerunt, quos pontificii instar Spuriorum  
 æstimant, cum Clericis matrimonia sint interdicta. Complices ali-  
 os recenset Steph. Szegedin *de Rom. Pont. p. 100.* De CLEMENTE VII.  
 Pontifice summo, modo audiuimus, illumque ex parum certa, 45  
 neque propalam legitima vxore natum, ex Onuphrio confirmat  
 Stratemannus *in Theatr. hist. p. m. 718.*

Perlustratis nunc muneribus sacris, & in quantum illegitimi 46  
 ad illa adspirare possint, alteram nunc quoque classem intuebi-  
 mur, & dignitates politicas, quatenus illarum liberi naturales &  
 extra matrimonium geniti, capaces esse queant, considerabimus.  
 Quo labore vt eo feliciter defungamur, fundamenti loco rursus  
 dispiciemus, *an illegitime nati in nobilium numerum sine referendi?* Il- 47  
 li equidem, qui illegitimos pro infamibus & turpibus personis re-  
 putant, eos sine omni hestitatione Nobilitatis incapaces declara-  
 bunt, cum nobilitas ab omni macula & turpitudine debeat esse  
 remota. Verum licet hæc non genuina ratio sit huius decisionis,  
 decisio tamen ipsa interim salua manebit, quod nimirum illegiti-  
 mi Nobilitatis expertes sint, ea potissimum ex ratione, quod no-  
 bilitas a patribus in filios, non vero a matribus deriuetur *L. 12 ff.*  
*de Statu hom.* cumque nobilitas sit eminentior gradus, quem quis  
 vel ab ipso Principe propter benemerita sua consecutus est, vel  
 qui



16 CAP. II. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

qui per Maiores suos Auum vel Proauum in quempiam propagatus est, sequitur, filium extra matrimonium genitum, tali honore fulgere non posse, cum ex parentis origine hanc dignitatem non trahat, a Principe vero hic honor in ipsum collatus non fit. Quare nullatenus dubitandum, illegitimos filios a nobilibus licet genitos nihil de hac dignitate secundum strictam iuris rationem participare, nisi ipsis nobilitas primum concessa. Verum enim vero aliter rem se habere ratione liberorum naturalium Illustrium existimamus, qui num non ipso facto nobiles sint, nunc videbimus. Certe variarum regionum consuetudine Illustrium liberi naturales non parum sibi gratulantur de ortu suo illegitimo, & beatos se admodum aestimant, quod ex sanguine illustri descendant, turpitudinem parentum perpetuo allegando, non secus ac si istiusmodi congressus contra matrimonium, res esset omni laude dignissima; hinc est, quod filii naturales Principum nomen Bastardi nomini suo sponte apposuerint. Eiusmodi exemplum refert Io. Bertelius in *historia Lucelburgica fol. 478.* de CORNELIO filio naturali Philippi Ducis Burgundiae, cui cum pater suus Ducatum Lucelburgensem gubernandum concessisset, ille semper postmodum hoc titulo utebatur: *Corneille Bastard de Bourgogne, Lieutenant Gouverneur & Capitaine generale du Duché de Luxenburg & Comte de Chiny.* Ita & ceteri Nothi, e Philippo Bono Burgundiae Duce nati, Bastardi nomen omnibus aliis titulis praetulerunt, insignibus suis semper opponendo: *Anthoñius, Philippus, Balduinus, David &c. Burgundiae Bastardus*, notante id Myler. ab Ehrenb. in *Gamol. Princ. c. 26. §. I.* ex Ponto Heutero de *lib. natural. c. 16. n. 2.* Hinc addit Heuterus, patefcere exinde nomen *Bastardi* non conuicti & contumeliae vocabulum esse, sed conditionis tantum, retinentis praecessorum suorum honorem & qualitatem: Inde est, quod generali fere plurimarum Gentium consuetudine receptum sit, vt filius naturalis alicuius Viri Illustris, Nobilium priuilegijs gaudeat, ac pro nobili reputetur, iuxta Andr. Tiraquellum de *Nobilit. c. XV. n. 25.* ob rationem videlicet, quod consuetudo aliquem possit facere nobilem, qui de iure communi nobilis non est, & quod patriae mos in nobilitate gerenda pro lege obseruandus sit, per *L. 1.*



§. 2. ff. de mun. & honor. Myler ab Ehrenb. loc. cit. §. 2. In Ducatu Sabaudie hoc singulari statuto ita constitutum esse, vt nobilium filii naturales nobilitatis decore fulgeant, testantur Tiraquell. de Nobilit. c. 15. n. 25. Anton. Faber in Cod. Lib. 9. tit. 29. def. 20. & 27. per tot. Simile quid obtinere in Tuscia & vniuersa Italia docet Nevizan. Consil. 8. n. 19. quos omnes allegat Myler. sub fin. §. 2. De consuetudine generali prouinciæ Delphinatus & circumiacentium locorum, quod filii naturales itidem nobilibus æquiparentur, Guido Papæ. decis. 580. n. 3. perhibet. Ita per vniuersam Franciam nobilium filii naturales æque nobiles habentur, arma & insignia paterna gerunt, & a tributis immunes sunt, Nic. Boerus decis. 127. Tiraquell. de Nobilit. qu. 15. n. 25. De consuetudine & Legibus Ducatus Lotharingie, vid. consuet. Lothar. tit. 1. §. 12. De Gallie Regum filiis naturalibus hoc tanto magis obtinere annotat Carol. Loyseau Tract. des Ordres cap. 7. n. 91.

Illud tamen quod de Gallie consuetudine dictum est, hanc patitur limitationem, quod liberi naturales non æqualem cum patre illustri, aut eius filiis legitimis dignitatem capiant, sed semper gradu quodam inferiorem ordinem occupent. *Us doivent tousiours être mis d' un degré plus bas, qu' eux: de sorte que les batards des Rois sont Princes: Ceux des Princes sont Seigneurs: Ceux des Seigneurs sont gentils-hommes: & ceux des gentils-hommes sont routuriers: a fin que le concubinage n' ait autant d' honneur, que le loial mariage.* Charl. Loyseau, dict. Tract. des Ordres cap. 5. n. 64. In Hispania quoque filius naturalis in nobilitate paterna sine vilo legitimationis rescripto succedit, ac nobilis fit absque Principis beneficio, solo patris beneplacito, sic vt in ipsis dynastiis cum dignitate annexis succedat, Azeuedo ad Const. Hisp. Lib. 5. tit. 8. leg. 10. n. 51. dummodo a patre pro filio naturali sit agnitus, quam in rem publicum semper instrumentum confici solet. Quod per vniuersam Hispaniam obseruari, ex Garfia de expensis c. 3. n. 25. Cxuallos Commun. contra coram. qu. 2. n. 49. adducit Myler l. cit. §. 7. Ordo Aurei Velleris, in quanto semper honore & existimatione habitus fuerit, Principibusque solum & illustribus Viris conferatur, inter omnes constat; hinc inter eius capita recensetur, Consortes



huius ordinis futuros, nobiles nomine & armis sine macula debere esse. Iul. Chiffletius in *Breuiar. hist. Ord. A.V.* Cum autem varii nobilium familiarum illegitimi filii, aut ex illegitimis nati, huic ordini inserti reperiantur, v. g. IOANNES LUZENBURGIUS, Dominus de Haubordin, filius illegitimus Walraui Luzenburgii Comitis Fani D. Pauli, frater Ludouici Luzenburgii Comitis Fani D. Pauli Franciæ Connestabili; item LVDOVICVS FLANDER Prætor Dominus, e filio notho Ludouici Malani Flandriæ Comitis ortus, ac a parte matris e filia notha Cornelli Burgundi, filii naturalis Philippi Boni, Belgarum Burgundionumque Principis, procreatus, quia Carolo V. Cæsare in ordinem Equitum Aurei Velleris cooptati sunt. Ita etiam Philippus II. Hispaniarum Rex, Aurei Velleris torque ornauit fratrem naturalem Io. AVSTRIACVM ac ALEXANDRVM FARNESIVM, e sorore illegitime natum; Vnde concludi facile potest, hisce filiis ratione nobilitatis & dignitatis nihil

60 decedere, vid. Myler. *loc. sapius all. c. 10.* Etsi autem hæcenus dicta ita se habeant, de illis tamen generalis & cætera regula tradi nequit, quod omnes liberi naturales illustres vbique locorum Nobilitatis paternæ eodem modo participes fiant, sed hic potissimum vnus cuiusque loci mos & consuetudo inspicienda, quæ ex ignobili nobilem facere potest, in primis cum nobilitas sit iuris posititi non iuris naturalis, vt pote qui iure omnes homines æquales sunt, ea tanto facilius moribus populi imputari potest, L. 32. ff. de LL. conf. Myler. *c. cit. vlt. §. 12.*

61 Considerauimus hucusque liberos naturales Regum exterorum illorumque felicem nascendi sortem perspeximus, super est vt ad *Principum Imperii* filios naturales nos conuertamus, & quæ illorum sit conditio, quæque dignitas, breuibus perlustremus. Non inficias hic eundem est, insignem admodum differentiam intercedere inter hosce liberos, & dictorum Regum filios naturales, cum illi non ipso facto fiant nobiles, sicuti hi, eo quod hæc consuetudo nunquam hæcenus in Germania recepta sit, & apud nos ius commune vigeat, quod solum dignitatem imperitur ex iusto thoro genitis.

62 Interim tamen si quis a Principe, qui superioritatem territorialem habet, e concubina procreatus sit, quaeritur *an is*

pos-



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS. 29

posse proprium filium naturalem sola declaratione nobilem efficere, vel, an ad id Imperatoris autoritate opus sit? Omne momentum huius controuersie in quaestione hac prauidiciali versatur, an Seatibus imperii competat facultas nobilitatem concedendi, qua asserta, altera quoque quaestio luce sua gaudebit. Si dicendum, quod res est, non videre possumus, cur Principibus & Statibus Imperii hæc potestas sit deneganda, cum in Territorio omnia illa iura exercere possint, quæ Imperator per totum Imperium, per *ἡγεμονίαν* illud Brocardicum, Knichen *de Sublimi Territorii iure cap. l. n. 379. & seqq. ibique allegati, & c. 20 n. 3. & seqq.* Cur igitur in territorio suo dignitates & nobilitatem conferre prohiberentur? Conferunt ceteroquin in regionibus suis summam bello & pace dignitates atque officia in dicasteriis, Cancellariis, & alibi, cur igitur infimæ nobilitatis conferendæ ius eis controuertendum? Illud dein quod sententiæ forsitan nostræ obiici posse videtur, quod quidam Principes speciali priuilegio ab Imperatore hoc ius impetrauerint, cum tamen proprio iure secundum hypothesein nostram illud exercere potuissent, ad stabiliendam magis nostram sententiam arripimus, nempe quod propterea gratiam huius iuris expetierint, vt ab iis creati Nobiles per totum Imperium pro talibus agnoscerentur, neque effectus huius iuris intra limites territorii illorum solum restrictus esset. Sicque priuilegium hoc multo pinguius est, & amplius in se continet, quam simplex ius nobilitandi. Vt taceam hoc priuilegium non solum ad ius creandi Nobiles, sed & Comites & Barones posse extendi. Verum esto quempiam his omnibus reclamare, non poterit ad minimum impetratio eiusmodi priuilegii aliis obesse. Præsens instituti ratio non permittit fusius hanc materiam illustrem discutere, quare B. L. ad Per. Illustrem DN. de Rhez *In Inst. l. P. Lib. 1. tit. 19. §. 3.* & Excellentissimum DN. Cocceium, cuius peculiaris de hoc themate extat disquisitio, sub titulo, *de potestate Statuum Imperii circa dignitates*, ablegabimus, qui posterior antiquiores quoque ICTos sententiæ nostræ suffragantes *c. 3. §. 23. allegat.*

Probatio sic antecedenti, potestate nempe nobilitandi Principibus

D;

67



30 CAP. II DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

- cipibus imperii competente, nec consequens inficias iri poterit, Principem suum filium naturalem Nobilem declarare posse, nec propterea illum ad auctoritatem Imperatoris adhibendam teneri.
- 68 Id quod duplici quoque via efficere valebit, vel ex speciali privilegio iura & beneficia nobilium ipsi tribuendo, vel, si quis de hac potestate constanter adhuc litem mouere vellet, poterit ad minimum suum filium eiusmodi officio publico adhiberi, cui sua natura nobilitas inhæret. De quo duplici modo nobilitatem consequendi neruose Magnif. DN. Cocceius in modo laudata disp. agit, & in §. vlt. eius *ἀναρτοφάλασιον* artificiose exhibet.
- 69 Pedem nunc proferamus ad perlustranda munera atque officia ciuilia, ad quæ naturalibus liberis ascendere licitum est, quorum hæctenus nonnulla aliqui illorum occuparunt. Initium faciemus a Doctōris dignitate, *ad quam num naturales liberi & illegitimi admittantur, disquiritur?* Negat id fere omnis Doctōrum cohors, in tantum vt Franciscus Viuius *Decis. 162. n. 10. Lib. I.* scribere non erubescat, spurium non magis Doctōrem esse posse, quam Afinum hominem, redduntque rationem suæ decisionis, quod dignitas hæc munus sit, cuius spurii expertes essent.
- 70 Sed cum hæc ratio, iam per se minime Christiana, petitionem principii inuoluat, & nos eius fundamentum iam supra refutauerimus, hoc intuitu Spuriōs merito Doctōris titulo maectari posse, non dubitamus, dummodo sufficienti eruditione & bonis moribus sint instructi, nec statuta & consuetudines locorum illos expresse excludant, vid. Palæottus *c. 56. n. 8. & seqq.* & Limnæus *Lib. 8. c. 8. n. 78. & c.*
- Doctōrum autem iuris cum maximum officium sit, vt ius dicant, vel vt de iure consulti respondeant, duplex exinde resultat dignitas, vt vel iudicis vel Assessoris appellatione veniant. De posteriori vt prius agamus, quærere non abs re erit, *an filius naturalis possit fieri Assessor?* Ad decisionem huius quæstionis eo felicius expediendam, differentiam, quæ est inter Assessores Cæsaræ imperialis & reliquos, quorum mentio fit in iure nostro ciuili, annotasse necesse erit; Illi enim non solummodo iudici asfident, sed iuris quoque dicendi ac decernendi potestatem habent, & ea propter



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS. 31

pter non nudi Beyfigere sed Urtheilere appellantur. Ad hoc autem munus nemini peruenire licet, nisi qui ex iusto & legitimo thoro procreatus, ita vt nec legitimated admittantur, propter exprefsam sanctionem, quæ est in *Ord. Cam. part. 1. tit. 3. §. 1. Mynfing. Cent. 4. O. 31. Donellus enucleatus Lib. 18. c. 2. Nor. lit. K.* In secundo vero significato, vt de illis in *tt. ff. & C. de Off. Ass. ff.* agitur, non sunt iudices, sed iudicum tantum consilarii, de his si quæras, an Spurii tales euadere poterunt, id communiter negabitur, ob *L. 2. inf. de Off. Ass.* vbi infames Assessoris officio fungi non posse dicitur. Sed cum toties iam a nobis inficias itum sit, Spurios esse infames, ipsa quoque decisio corruet, cui illa superstructa, nec dubitandum, si Princeps aliquis eiusmodi filium naturalem in Consilium suum cooptare velit, eum huius muneris fore capacem, foret enim hoc quasi legitimatio per oblationem curiæ, quando Princeps sciens illegitimum ad dignitatem senatoriam euehit, vel consilii sui reddit participem, DN. Hopp. *ad S. 13. l. de Nupt.* Imo idem de iis assessoribus asserere, qui potestatem decidendi habent extra Cameram Imperialem, non dubitamus, cum nulla solida ratio in contrarium adferri possit.

Proxima Assessori dignitas est ipsa facultas ius dicendi & sententiam ferendi, quæ num spurio & illegitime nato quoque sit permittenda? intuebimur. Saxones equidem ob officio iudicandi in vniuersum olim repellebant Spurios, *Lehnrecht 1. art. 61. Gl. Landrechts Lib. 3. art. 13. n. 3.* cui ius Can. videtur consentaneum *c. 1. & 4. Caus. 3. quest. 7.* ne dum de crimine alieno iudicant, cogantur erubescere de paternis. Sed cum hæc ratio subtilis magis quam exacta videatur, naturalis sane propterea non obstante sua natiuitate, cæteris paribus, iudicis officio æque adfungi valebit, ac legitime natus, si quidem ipsius pater illum tali muneri præficere velit. Quotiescunque enim hoc modo iudicibus erubescendum in iudicio foret, non dicam de alienis & paternis, sed de propriis delictis, quando talia crimina in iudicio ventitantur, quibus se itidem inquinatos esse tacite consententur. Optarem ergo, vt ad iudicis officium non admouerentur tales, qui iis criminibus delicti, quibus puniendis præpositi sunt, vel si ad moti sinistre sunt



funt, vt dimouerentur iterum, propter elegantem textum in  
*d. Can. 4. Caus. 3. qu. 7.* vbi hæc Ambrosii verba adducuntur: *Iudicet*  
*ille de alterius errore, qui non habet quod in se ipso condemnet. Iudicet ille,*  
*qui non agit eadem, que in alio putauerit punienda; ne cum de alio iudicat*  
*in se ferat ipsam sententiam. Iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio,*  
*nulla offensione, nulla leuitate ducatur &c.*

75 De iudice nunc progrediemur ad *Legatum*, & num illegiti-  
 76 me nati ab hoc munere excludantur? videbimus. Profecto non  
 exigua opus est circumspectione in electione Legati, neque  
 vnumquemque promiscue & temere tam arduo muneri adhi-  
 bendum esse, ipsa legati notio, Varrone auctore, clare satis indi-  
 cat, dum a legendo Legatum dictum esse docet, quod non nisi  
 77 lecti tam graui negotio præficiendi. Interim si in legato magis  
 peritia rerum & prudentia commissa negotia expediendi atten-  
 ditur, quam ipsa natiuitas, naturalem quoque filium ad legatio-  
 nem obeundam adhiberi posse, non ambigendum, siquidem his  
 dotibus sit instructus, quæ in legato requiruntur; Nec enim  
 eiusmodi filius inter viles & abiectas personas referendus, quas  
 legationis splendor inde arcesceret, vt potius Princeps de ipsius  
 inhabilitate, si quæ in illo est, dispensasse censendus sit, inhabilem  
 personam ad hunc actum eligendo.

78 Hactenus adhuc in plurimis muneribus ciuilibus natura-  
 libus liberis aditum patuisse perspeximus, quare ad vltimas nunc  
 in Imperio nostro dignitates pergemus, intermedias alias stu-  
 dio breuitatis omittentes, cum ex hactenus dictis ad illas argu-  
 79 mentatio iam institui queat. Electoralis dignitatis quan-  
 tum sit fastigium, inter omnes constat, & Electorum elogia, qui-  
 bus passim afficiuntur, satis edocent, quippe nunc *palmites im-*  
*periales & membra eius propinquiora, mox columnæ proceres sacrum*  
*edificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentantes, nec*  
*non soli de bases Imperii & columnæ immobiles & sexcentis aliis*  
*nominibus vocantur vid. A. B. in præfat. & c. 3. §. 1. vna cum cap.*  
*12. §. 1. Quare cum huius muneris tantus fulgor, dubitare licet,*  
*an naturales filii Electores euadere possint? Et occurritur nostro*  
*dubio expressa sanctione A. B. tit. 7. §. 2. vbi successorem Electo-*



ET PRINCIPVM INTVITV DIGNITATIS. 33

ris debere esse legitimum, ein recht ehelich Rind/ clare dicitur, *Limn. ad b. loc. A. B. & L. 3. I. P. c. 7. n. 18.* Non ergo perse ab hac dignitate excluduntur naturales, sed propter specialem A. B. dispositionem. Inter Electores Ecclesiasticos quid iuris sit, e quaestio. 80  
ne superiori de admisione naturalium ad collegia Canonicorum dependet, quæ cum maximam partem in Germania illegitimos excludere, ante dixisset, & horum respectu Electores fieri prohibebuntur. Admittendi autem tum quoque ad Electoratum, quando ad summa officia Ecclesiastica, ex quibus cooptantur Electores, admissi.

Extremum in imperio occupat locum *Imperatoria Maestas*, 81  
ad quam non nisi ex illustri quadam Germaniæ familia natos pro-  
vehi fas æquumque est. Hinc naturalium liberorum nullus ad  
hanc dignitatem vnquam prætetendit. Olim quidem Alexandrum 82  
Seuerum, Aurelianum, Heliogabalum, qui propterea Varius dice-  
batur, Palæottus *Tr. c. p. 52. b.* Galerium Maximum omnes Imperatores  
Spurios fuisse tradunt, sed incertæ nimis sunt horum histo-  
riæ, & turbulentis illis temporibus omnia permilla. Fuit porro Ar-  
nolphus quoque naturalis filius Carolomanni, Ludouici Germ. fi-  
lii, Ludov. Pii nepotis, Regis Bauariæ, ex quadam nobili femina  
susceptus, elegantissimæ faciei Princeps, vid. Regino *ad A 880. p. m.*  
58. & factus postmodum est Imperator, idemque Rex Germaniæ  
vel Bauariæ, Dux Carinthiæ, Marchio Stirix &c. Sed hoc regnum  
Germaniæ non tam iure hereditario, quam procerum liberiore  
consensu consecutus, & hoc modo a consilio procerum quasi legi-  
timatus fuit. vid. Conring. *de Fin. Imp. p. m. 29.* Fuit enim Arnol-  
phus solus tum temporis de tam numerosa Francorum potestate  
superstes, qui idoneus inueniretur ad scepra imperii Francorum  
suscipienda, vid. Bœcl. *in hist. sec. IX. sub. Car. Crass. p. 184. & in vita  
Arnolphi sub initium.* Imo ita semper Germani hanc dignitatem  
conferarunt integram, vt cum rumor solum cureret de Friderico 83  
II. Imperatore, illius originem esse dubiam, illumque a pontificio  
præfecto genitum esse, Imperator in Comitibus Merseburgicis A.  
1213. coactus fuit, ad instantiam Imperii Principum, fidem suo-



34 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.  
rum natalium vindicare. teste Spangenberg, in *Chron. Sax.* c. 247-  
p. m. 426.

- 84 Finem imponat huic capiti quæstio, an *naturales filii ad Torneamenta sive ludos equestres admittendi sint?* Et nemini ignotum est, in legibus ludorum equestrum expresse cautum esse, vt illegitimi & extra matrimonium nati a torneamentis excludantur, idque tanto minus admirandum, cum & eo casu quando quis e stirpe nobili imparem vxorem duxerit, quæ non nobilis conditionis est, tum eiusmodi liberis perinde hæc hastiludia interdicta sint, ac ipfis ignobilibus, *Limn. lib. 6. c. 5. n. 55. & 62.* Ex hoc fundamento patet, si quis Princeps, qui est status imperii, filium suum, secundum ius ipsi superius assertum, expresse ita nobilitauerit, vt ad ludos equestres admittatur, hoc validum esse, quia est honor tantum quidam ciuillis, circa quem Principes in territoriis, sicuti Imperator per totum imperium, pro lubitu dispensare possunt. *Besoldus in diss. de Regalibus*, quæ thesauro practico annexa est, cap. 17. *ib. 2. in f.* Nisi tamen statuta Regionis aliud disposuerint. Sufficiat has primarias quæstiones de liberis naturalibus illustrium personarum intuitu dignitatis illorum, summo digito in præsentit tetigisse. Transitum nunc faciamus ad cap. 3. vbi iura, circa successionem naturalibus liberis ex illustri sanguine cretis competentia, examinabimus.

### CAPVT III. De Iure Liberorum Naturalium Regum & Principum intuitu Successionis.

#### SVMARIA.

- I**ntrouitum n. 1. 2.  
In Gallia olim sub Merouea illegitimi simul cum legitima successerunt. 3.  
Recensentur exempla, 4. seqq.
- Quid obtinuerit cum ad Carolingos Imperium peruenisset? 9. seqq.  
Recensentur Liberi Naturales Regum Gallie, 17. seqq.

In



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS.

35

- In Hispania nonnunquam Naturales Sceptrum adepti, 40. seqq.*  
*Sed contra leges Hispania, 44.*  
*Liberi naturales Regum Hispania recensentur. 45. seqq.*  
*Num in Portugallia Naturales in Regno succedant? 52. seqq.*  
*Quid in Regno Anglia obtineat? 58.*  
*Recensentur Liberi Naturales Regum Anglia. 60. seqq.*  
*An in Scotia ad Regnum promoti Naturales? 70. seqq.*  
*In Dania olim quoque regnarunt Naturales non hodie 76. seqq.*  
*Catalogus Liberorum Naturalium Regum Daniae. 79. seqq.*  
*In Noruegia aliquando successerunt Naturales, 84, 85.*  
*Quid hodie? 86.*  
*Quid in Regno Suecia? 87. seqq.*  
*De Regno Poloniae, 91. seqq.*  
*Hungaria, 96.*  
*Bohemia, 97. seqq.*  
*Sicilia & Neapolis, 100.*  
*De quibusdam familiis Gallia & Italia, 101. seqq.*  
*An liberi Naturales de iure natura & Geniura succedere possint? Pergitur ad Germaniam, 108, 109.*  
*Quorundam Imperatorum naturales adducuntur, 110. seqq.*  
*Transitus ad iura successoris in Imperio. 118.*  
*An naturales in feudo succedere possint? 119. seqq.*
- Annon in feudo hereditario? 126. seqq.*  
*Annon in feudo feminino? 129, 130.*  
*Quid si primus acquirens fuerit Naturalis? 131, 132.*  
*An succedant naturales in Allodium? 133. seqq.*  
*Quid si Pater Naturalem filium adoptauerit? 135. seqq.*  
*Alimenta debentur Naturalibus. 138. seqq.*  
*Exempla 141. seqq.*  
*An filiabus naturalibus alimentatodos debeat ex feudo? 145. seqq.*  
*An Vasalli contribuere teneantur ad dotandam filiam naturalem? 149, 150*  
*An si fideicommissa relicta sub conditione, si sine Liberis decesserit heres, sub Liberis naturales quoque intelligantur? 151. seqq.*  
*An fidei commissa familia capiant Naturales? 154.*  
*An Naturales gentilitia Patri insignia gestare possint? 155. seqq.*  
*An Naturales habeant ius sepulchri. 161.*  
*An Naturales succedant Matri? 162. seqq.*  
*Num Illustris Matris insignia ferre possint Naturales? 165.*  
*An filius Naturalis in bonis Maternis iure Retractus gaudeat? 168, 169.*  
*Conclusio capituli, 170.*

E 2

In-



<sup>1</sup> **I**nter Liberorum Legitimatorum iura non vltimas tenet partes  
 illud, quod sint parentum suorum heredes, & quod viuo adhuc  
 patre quodammodo Domini bonorum existimentur, §. 2. *I. d. Her.*  
*Qual. & Diff.* quapropter cum in Liberorum Naturalium inpr-  
 mis ex illustri stemmate ortorum iuribus deducendis hactenus o-  
 peram nauauerimus, merito nunc de Successione ipsas debita sol-  
<sup>2</sup> liciti sumus. Id vt eo conuenientius & distinctius a nobis fiat,  
 per primaria Europæ Regna ambulaturi, quid in vnoquoque ra-  
 tione Successionis Liberorum Naturalium obtineat, annotabi-  
 mus, hacque simul opera illustrissimos Nothos variorum Regum  
 indicabimus; posthæc autem animum ad Germaniam nostram  
 aduertemus, quæque sit Naturalium Liberorum a Principibus e-  
 ditorum in illa conditio, pro virili indagabimus, eo quod magis  
 nostrum interfit nosse iura Patriæ, quam extraneorum Regnorum  
<sup>3</sup> & Prouinciarum, arg. *l. 2. §. 43. ff. d. O. I.* Exordium discursus no-  
 stri merito facimus ab ipsa Gallia, quum illa sit quasi Schola qua-  
 dam Amoris & hac sobole admodum feracissima Regio. Hoc Re-  
 gnum ab initio tempore Merouingicorum filios naturales illegiti-  
 mos in pari semper gradu collocabat, nec vllam inter illos diffe-  
 rentiam faciebat, quare Clodouæus, primus Christianus Rex Fran-  
 ciæ, Regnum suum inter tres suos filios legitimos, & filium natu-  
<sup>4</sup> ralem Theodoricum æqualiter distribuebat; *L' Ainé, qui fut Chil-*  
*debert eût Paris, Poictieu, Touraine, le Maine & Aquitaine, & s' ap-*  
*pelloit Roi de Paris. Clodamire eût le pais de Bourgogne, Dauphiné &*  
*Prouence iusqu' à la mer, & s' appelloit Roi d' orleans, Clotaire eui Vermand-*  
*ois, Picardie, Flandres & Normandie, & mit le Siege de son Roiaume*  
*à Soissons, & à cette cause il s' appelloit Roi de Soissons. Bastari Thi-*  
*erry eût l' Astrasie, & le pais de deca le Rhin iusqu' à Reims, & fut*  
*appellé Roi de Metz. Bernhard. Girard. de l' Etat de France Lib. 3.*  
<sup>5</sup> Confirmat id Aimoinius *Lib. 2.* Quatuor filii Clodouei regnum  
 inter se æqua lance diuidunt, & Theodoricus quidem sedem  
 Regni sortitus est Metis, Chlodomeres Aurelianis, Chlotarius  
 Suesionis, Childebertus Parisiis. Fuit hæc optima & maxima  
 Regni patrii pars, quam Theodoricus tanquam primogenitus  
 Clodouxi accepit, quæque deinde sub nomine Regni Austrasiæ  
 cele-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 37

celebrata fuit, de quo vid. Hadr. Valeſius *rer. Franc. L. 7. & in not. Gall. voc. Auſtria, p. 68. & Voc. Neuftria p. 372.* Vlr. Obrechtus *Prodr. Riv. Alſat. c. 5, p. m. 34. ſeqq.* Excellent. DN. Schurzſſeiſch. *d. Regno Auſtraſiæ & alii.* Sunt & plures filii illegitimi & naturales, qui Pa-  
 rentibus ſuis in regno vel ſoli, vel facta diuiſione ſucceſſerunt;  
 SICTHEODEBALDVVS filius nothus e Deutheria genitus ſucceſſit pa-  
 tri Theodeberto (Theodoricæ Auſtraſiæ Regis antea allegati fi-  
 lio,) in Regno Franciæ, vid. *Les Intrigues Galantes de la Cour de France, p. m. 12.* Clotharius pariter, Clodouei filius, poſtquam ex 7  
 vxoris ſuæ Ingondæ ſorore, Herigondæ dicta, inceſtuofum filium  
 ſuſtuliffet, CHILPERICVM dictum, illum in Normannia & Pariſiis  
 ſucceſſorem habuit, *Les Intrig. Gal. p. 16. & 18.* Teſtimonium hu- 8  
 ius rei vltterius exhibit SICEBERTVS, filios nothus Regis Dagober-  
 ti, quem ex Raguetruda habuit; ille poſtmodum cum fratre legi-  
 timo Clodouæo 2. patrimonium paternum diuiſit, & Franciam o-  
 rientalem tenuit. Vid. Springsfeld. *d. Apanag. Cap. I. n. 63. L' Hi-  
 ſtoire des Intrig. Gal. de France p. 41-44.* Hæc fuit rerum facies in 9  
 Regno Franciæ ſub primæ ſtirpis Regibus Meroueis, vbi omnis  
 reſpectus inter legitimos & illegitimos in ſucceſſione fere penitus  
 ceſſabat. Poſtquam autem ad Carolingos Imperium perueniffet,  
 ab hoc more mox reſeſſum fuerat. Ipſe enim Carolus M. poſt-  
 quam ex octo Concubinis, quas habuiſſe dicitur Bœclero *in vit.*  
*Car. M. p. 4.* multos ſuſtuliffet filios naturales, inter quos inpr. PI-  
 PINVS ex anonyma natus, nec non FROGON & HVGEO ex Reginia ge-  
 niti, vna cum THEODORICHO, ex Adelonda ſuſcepto, clarent, in  
 Teſtamento tamen Pater illos Imperii Suſceſſores non inſtitue-  
 bat; Pipinus enim filius naturalis primogenitus contra patrem 10  
 rebellans in Coenobium Prumiense detrufus erat, Frogon quo-  
 que cum fratribus ſuis a Ludouico Pio inuiti in Monachos rafi, v.  
 Thegan. *c. 24.* cuius tamen rei penitencia deinde ductus fuit, v.  
 Aimon. *L. 5. c. 19.* Fuit autem Frogon, ceu vt alii eum appellant,  
 Drogo, poſtea Archiepiſcopus Metenſis, ac ſub Ludouico Pio o-  
 mni Clero præfuit. Sub Lothario An. 844. a Sergio II. Vicarius Se-  
 dis Rom. in Gallia & Germania deſignatur; aſt cum Metropolita-  
 norum Iuri hoc contrarium eſſet, Drogo pro ſua prudentia ab vl-  
 teriori



teriori Vicariatus ambitione abstinuit, vid. Schilter. *d. Lib. Eccles. Germ. L. 3. c. 1. §. 6. 7.* Ludouico Pio morienti assistit, *Annal. Astronom. ad A. 823. & 824.* apud Reuberum. Alter filius Hugo itidem rufus erat; hunc Ludouicus Pius postea An. 837. ad Lotharium filium Legatum mittit, vid. *Annal. Astron. ad An. 837.* Hugo hic Presbyter & Abbas, Caroli M. filius cadit in praelio, quo Pipinus iunior Caroli Calui copias delet An. 844. v. *Annal. Bertin. d. Ann. De Amoribus Caroli M. consulte vltius esse poterit Lotharius iunior, Rex Lotharingæ, Lotharii Imperatoris filius, qui repudiata Theutberga Coniuge pellicem Waldradam superinduxerat. Quod Diuortium Episcopi Germaniæ TransRhenanæ in Synodo Aquisgranensi Anno 861. per Decretum ap. Goldast. Tom. 2. Constit. p. m. 27. approbarunt, vid. Bœcler. d. Loc. p. m. 148. seqq. vbi totum hocce negotium accurate examinat. E contra Waldradam Nicolaus Pontifex excommunicat, cuius auctoritatem negotium hocce statuminuit non parum, Carolo Caluo Rege Franciæ frigidam suffundente, v. Schilter *d. L. E. G. L. 3. c. 1. §. 4. & 5.* Goldast. *Tom. III. pag. 286.* Factum Lotharii improbant Ludouicus Germanicus & Carolus Caluus in fœdere Ao. 865. initio c. 6. ap. Schilter. *Inst. I. P. Tom. II. c. 7. p. 62.* Lotharius appellat ad Pontificem, tum vt e-luderet Carolum Regem, cui promiserat se præstiturum, quod iuste foret iudicatum, v. Goldast. *Tom. II. p. m. 29.* tum vt & ipsum Pontificem deciperet, obseruante Baronio *ad A. C. 862. n. 43.* ap. Schilter. *d. L. E. G. L. 3. c. 1. §. 16.* Lotharius Rex ex Waldrada genuit HVGONEM, Spurium dictum, cui Pater Ducatum Alsatix donat. Ao. 868. v. *Annal. Bertin. ap. Obrecht. prodr. Rerum Alsat. c. 6. p. m. 57.* Hugo res nouas in Lotharingia molitus, a Ludouico Iun. Germaniæ Rege compestitur, vid. *Conr. d. fin. Imp. c. 6. p. m. 27. seqq.* Post Ludouici dein Iunioris mortem paternum Regnum recuperare studet, vid. *Regino Prum. ad A. 883. p. m. 60.* ægre enim ferebat, se tanquam spurium a successione paterna exclusum fuisse, cum illam, tanquam e legitimo Matrimonio genitus, totam prætenderet, sed a Carolo Crasso oculis priuatus in Cœno-*

bio



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS.

39

bio Prumiensi obiit An. 885. vid. Regino *ad A. 885. p. m. 62.* Interim 12  
 adfunt tamen Ludouici III. Balbi cognominati, duo filii naturaliales LUDOVICVS ac CAROLOMANNVS ex Concubina Ansgarda orti, qui ad imperium & regnum peruenerunt, astutia potius & fraude, quam iure, sicuti Historici de illis referunt. Adducamus vnum & alterum locum in huius rei fidem. Ludouico Balbo mortuo filii eius Ludouicus & Carolomannus a Gozelino Abbate, tanquam illegitimi & Spurii a successione excludendi dicebantur, v. Mezeray *Hist. d. France Tom. I. p. m. 358.* Marcel. *de l'origine & du progress de la Monarchie Francoise Tom. II. p. m. 205.* quia Pater illorum Coniugem, ex qua nati fuerant, quam inconsulto & inuito Patre suo Carolo Caluo duxerat, hoc iubente repudiare coactus fuisset, vid. Boecl. *sub Lud. Balb. p. m. 173.* Attamen industria ac studio Hugonis Abbatis & aliorum Procerum tanquam legitimi in Regnum sublimati fuere, vid. Regino *ad A. 879. ap. Contr. d. fin. c. 12. p. m. 124. seqq.* quod etiam inter se diuiserunt, v. Annales Bertiniani *ad A. 880. ap. Roeler. d. l. p. m. 179.* Occurrit hic nobis iterum ARNOLPHVS, Carolomanni Regis Ba- 13  
 uariæ naturalis filius, de quo supra Cap. II. n. 82. iam mentionem fecimus; Ille enim non solum Rex Germaniæ, sed ipse Imperator quoque designatus est. Quo autem modo id factum 14  
 sit, iam tum temporis a nobis ostensum fuit. Pari modo cum Arnolphus ZVNDIBOLCHVM, ceu vt alii vocant, ZVENTIPOLDVM, filium e concubina natum, Lotharingiæ Regem constituere vellet, Wormatiæ in publicis Regni Comitii Consensum ordinum implorauit Ao. 894. optimatibus tamen eius Regni ea vice assensum suum non præbentibus, v. Conring. *d. s. c. 5. p. m. 26.* Anno insequenti vero 895. alio Conuentu Wormatiæ cum optimatibus ex omnibus Regnis ditioni suæ subditis celebrato, omnibus assentientibus & collaudantibus Zundibolch filium Regno Lotharii præfecit, Regino *ad A. 894. & 895. ap. Boecl. d. l. p. m. 205.* ita tamen, vt in Regis Germaniæ fide clientelaque esset, DN. 15  
 Schurzffisch *d. Regn. Austras. c. 2. §. 20.* Male autem apud Goldastum in *Not. marginal. ad decretum quoddam huius Zundibolch* Tom. I. *Constitut.* annotatur, quasi in Comitii Wormatiensibus  
 Suc-



Successor Imperii patrii electus fuisset; minus quoque recte inde Catalogo Regum Franciæ Orientalis, vt Cæsar, inferitur, cum tamen nullum huius rei in Historia vestigium extet, vid. Bœcl. *d. l. p. m. 295*. Zundibolch a militibus Ludouici Imperatoris fratris sui in prælio occiditur Ao. 900. vid. Regino *ad b. A. p. m. 71*. ap. Pistor. *Tom. I. Sigebert. Gemblac. ad A. 903. p. m. 514. seqq.* Otto Frif. *L. 6. c. 14. Annal. Met. Ao. 900. Dn. Schurzfleisch. d. Regn. Austraf. c. 2.*

- 16 §. 20. Bœcl. in *Ludou. IV. p. m. 216*. Deuoluto Iure Regio in Regno Franciæ a Carolovingica familia ad Capetingicam, in hac tertia Linea fundamentalis Lex Regni erecta est, mediante qua omnes Spurii seu Naturales Regum filii a Successione exclusi essent. Hotomann. *d. Leg. Success. Regn. Lib. 3. La troisieme race des Rois de France a constitué, que le Bastard ne succedoit, ainsi seroient reietez & desauonez, bienque les autres Bastards des autres grandes Maisons seroient aduoiez Gerard. Seigneur de Haillan de l'Etat de France Lib. 3. fol. m. 211. B. Conspirat cum hoc Losæus hunc in modum: La troisieme Ligne des Rois de France a toujours observé très-justement, d'exclurre les bastards de la succession du Royaume selon le droit commun, établi de present, comme je crois, en tous les Etats de la Chretien-té, où la Polygamie & le Concubinage sont defendus. Charles Loyseau *Tr. des Ordres des Princes, Chaph. 7. n. 88**

- 17 Percurremus hac Occasione maxime insignes & decantatos in Historiis filios Naturales Regum Franciæ, huius tertii rami, & deprehendemus nullum illorum ad solum paternum ascendisse. Robertus Rex Galliæ, Hugonis fundatoris huius Lineæ filius ex Concubina Almafreda, filia Comitis de Nogent, filium habebat, dictum AMALVICVM, vnde Comites de Montfort originem ducere dicitur. Vid. *Les Intrig. Gal. de la Cour de Fr. p. 66. 69.*

- 18 Philippus I. Rex Galliæ, repudiata vxore sua Bertha, Comitis Frisiæ filia, in totum asciuit Bertradam, Simonis Montfortii Comitis filiam, Fulconis Rechini Comitis Andegauensis vxorem, viuentem adhuc eius Marito; vnde triplex soboles illi nata, PHILIPPVS, quem Baronia donauit, FLEVRY siue FLORENS, qui Ecclesiasticis functionibus adhibitus fuit, & CECILIA. Verum Pontifex Urbanus VI. hoc Matrimonium Canonibus Sacris aduersum esse



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 41

esse perhibens, illum bis anathemate notavit. vid. *les Intrig. Gal. de la Cour de France p. m. 69 75*. Post plures tandem turbas Paschalis 2. Papa, dispensatione concessa, matrimonium hocce legitimum declarat, vt sic dubium, an inter Spurios potius vel Liberos per subsequens Matrim. legitimatos sint referendi. Vid. *Marcel. de la Monarchie Francoise Tom. II. p. m. 302. 319. seqq. 323. 328. seqq. 365.*

Ludou. VII. Rex Franciæ habuit filium naturalem, PHILIPPVM 19  
Decanum Ecclesiæ S. Martini Tournensis, † 1161. v. *Marcel. Tom. II. p. m. 353.*

Philippus II. Augustus, Rex Franciæ, Ingeburga Coniu- 20  
ge, Waldemari Daniæ Regis filia, repudiata, Agnetem, vel sec. alios, Mariam ducit, quam tamen Papa iubente iterum dimittere cogitur. *V. Les Intr. Gal. P. 1. p. 83 88.* Sub hoc Rege formula orta: *Regnante Christo*, eo quod tum temporis in Francia occidentali interregnum quasi erat, dum Philippus suspensus & excommunicatus fuit. Vid. Blondellus, qui de hac formula integrum Tractatum conscripsit. De duobus ipsius Liberis a Pontifice legitimatis, vid. *infr. Cap. IV.*

Carolus VII. Rex Franciæ Concubinam habebat, Agnetem 21  
Forel, Comitissam de Ponthieure, simultatum ac odiorum, inter Carolum & Filium eius Ludouicum, potissimam causam, e qua suscepit 1.) CHARLOTTAM, Ludouici de Bresé, Seneschalli Normandiæ vxorem, a Marito in adulterio deprehensam necatam que; 2.) MARIAM, Oliuerii de Coitiny, Domini de Rochefort, Coniugem. Vid. *Les Intr. Gal. P. 1. p. m. 102. 120.*

Ludouico XI. Regi Galliæ Concubina erant: Domina de Gi- 22  
gon, cum qua procreauit filiam, Ludouico Bastardo de Bourbon desponsatam. Postmodum cum gemmarii vxore, Passifilon appellati, libidinem exercuit, vnde produit filia Antonio de Bueil in vxorem data. Ab hac animum conuertit ad Huguettam de laqueline, vxorem postea Aimardi de Poictiers, Domini de St. Valier. Vid. *Les Intr. Gal. p. 121-127.*

Ludouici XI. frater, Carolus Andegauenfis ex Magdalena 23  
de Monseriau filiam procreauit, v. *Les Intr. Gal. P. 1. p. m. 122. 123.*

Franciscus I. Rex Galliæ, morem Antecessorum suorum se 24  
quando, Concubinarum quoque consortium in deliciis habebat,  
F dum



42 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

dum primitus Comitissam de Chateu-brian, filiam Phoebi de Grailly, Principis de Foix, amore suo dignabatur, postmodum autem ad Annam de Pisseleu, dictam Madamoiselle d' Hellé, & matrimonio iunctam cum Duce d' Estampes illum conuertebat.

v. *Les Intr. gal. P. 1. p. 146. segg. & 192. segg.*

- 25 Henricus II. Rex Franciæ binas habebat Concubinas I. *Dianam de Poitiers*, filiam Ioannis de Poitiers, Domini de St. Vallier, viduam Ludouici de Brezé, Seneschalli Normanniæ, quæ postmodum Ducissa de Valentinois creata fuit, e qua genuit 1) *DIANAM*, vxorem primo Horatii Farnesii, Ducis de Castro, & post eius mortem, filii primogeniti Mommorancii, Connestabilis Franciæ, *Intr. Gal. P. 1. p. 236.* 2) *FILIAM*, quæ nupsit Claudio Lotharingico, Duci d' Aumale. *Ibid. p. 235.* II. *Madamoiselle d' Amilton vel de Levislon*, quam Maria Francisci II. vxor è Scotia secum adduxerat, vnde natus *HENRICVS D' ANGOVLEME, Grand Prieur de France, Gouverneur de prouence & Admiral des Mers de Leuant*, tué a Aix, d. ii. Iul. 1586. par Philippe Altouiti, v. Marcel. *Tom. IV. p. m. 103.*
- 26 Nec etiam Carol. IX. Rex Franciæ, aures suas ab his Sirenibus auertit, sed pro more solito Antecessorum etiam extra torum legitimum amores suos protulit. Hinc in Concubinam assumpsit *Mariam de Touchet*, Aurelio ortam, Pharmacopolæ illius Ciuitatis filiam, v. Thuan. *L. 132. & 134. Les Intr. Gal. P. 1. p. 256. Perefis Hist. de Henry IV. p. m. 303.* Natus ipsi inde est *CAROLVS DE VALOIS*, primitus Comes Auernniæ, postea Dux d' Engouleme, factus. Matrimonio ille sibi iunxerat Charlottam de Montmorancy; Postquam conspirationis aduersus Marefchallum Bironem se participem reddidisset, capitis damnatus erat, sed Rex hanc penam mortis in perpetuam custodiam commutauit, *Les Intrig. Gal. p. 17.* Perefis *Hist. de Henry le grand. p. m. 405.* Carolus autem IX. hanc Mariam Touchet in matrimonium dabat Balzacio Marchioni d' Entragues, Domino de Malherbe, Præfeto Aurelianensi, ex quo toro prodiit *Henrica de Balzac d' Entragues, Marchionissa de Verneil*, Henrici IV. Regis Franciæ, postmodum Concubina. In conspiratione illa aduersus Bironium deprehendebatur, vel ad minimum Collusionis cum Hispanis conuincebatur, quare reliquum vitæ  
spa-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 43

spatium in Abbacia Pulchrimontis transfigere condemnabatur, postmodum tamen innocens rursus declarata fuit. L' Histoire des Intr. Gal. P. II. p. 104, 105. Perefiz. p. m. 403. & seqq. Thuan. L. 132. p. 1134. & L. 134. p. 1182. & 1183.

Henricus III. Rex Franciæ diuersas quoque Concubinas habuisse dicitur, inter quas eminent *Mademoiselle de Chateauneuf*, v. *Les Intr. Gal. p. 4. Mademois. d. Elbeuf*, Ibid. p. 4. *Madame de Saunue*, vidua Secretarii Status, ib. p. 4. & *Madaemois. de Vaudemont*, pag. 6.

Ad Henricum IV. Regem Franciæ nunc peruenientes, exercitissimum sane in hac palæstra Amatoria deprehendimus Principem, cuius omnes amores qui enarrare vellet, næ difficilem laborem susciperet! Fuit equidem hic Princeps tot tantisque egregiis virtutibus exornatus, vt omnes Scriptores vnanimi ore in ipsius encomia descendant. Solum amorem non potuit vincere, qui tot robustissimos exercitus deuicit. Ipse Hardouinus de Perefiz, Archiepiscopus Parisiensis, cum luculentam vitæ eius Historiam dedisset, veri Historici partes explendo, non voluit hunc næuum huius Regis reticere, sed illum viuis coloribus delineauit, & eius atrocitatem pathetice satis ostendit, pag. 461. Fecit id quoque Gramondus, & vehementiam libidinis suæ agnouit, tam ciuile tamen de illa iudicium ferens, vt laudes magis inter quam vitia illam retulerit. Ait enim, *Vnum illi a Venere næuum fuisse, eo Regibus noxam leuiorem, quod populus raro opprimatur ea labe; Vix seuire posse qui amat.* Axioma profecto non omni exceptione maius! Iungatur hisce Michel le Vasfor *dans l' Histoire du Roy Louis XIII. de France. Lib. I. pag. 54-55.* Ex tam numerofo apparatu Concubinarum, huius Regis insigniores & celebriores in Historiis pro hac vice annotasse sufficiat. Agmen sane ducit inter illas *Gabrielis d' Etrées*, quam Rex perditæ deperibat, & rustici quoque habitum non indecorum sibi iudicauit stramento insuper humeros onerando, vt hoc vestitu facilius ipsi copia cum Amasia sua loquendi esset. *Les Intrig. Gal. P. II. p. 22. Perefiz. p. 462.* In matrimonium postmodum data fuit Nicolao Dumerfal, Domino de Liancourt, ib. p. 25. quo fato functo in pristinam Regis gratiam reuersa, Mar-



44 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

chioniffa de Beaufort ab ipfo declaratur, p. 43. Tandem tales apud Regem in fauore erga fe progressus fecit, vt matrimonii quoque Regii ipfi spes penitus facta fuerit. Cui negotio iam Romæ Legatus aderat ab Henrico missus, qui diuortium a Regina Margareta Valefia eliceret. Mediis vero hisce temporibus Mors Ducissam de Beaufort opprimit, & sic omnem spem simul abscindit. Ipsius obitum reperies dans *Les Intrig. Gal. P. II. p. 81.* & in Libro qui inscribitur *Les Amours d'Alcandre p. m. 307.* Ipsius Liberi erant (1.) CESAR *Duc de Vendome, Les Intr. Gal. P. II. p. 43.* qui Franciscam Lotharingicam, Philippi Emanuelis Ducis de Mercœur filiam in matrimonium sumfit, *Les Intr. Gal. P. II. p. 78.* Peref. p. 253 & 459. (2.) CATHARINA HENRIETTA, legitimata Franciæ, quæ nupsit A. 1619. Carolo Lotharingico, Duci d'Elbœuf, Peref. p. 502. (3.) ALEXANDER DE VENDOME, *Grand Prieur de France*, mortuus ille in custodia, cui inclusus ob conspirationem, cuius contra Cardinalem de Richelieu accusabatur. V. *Les Intr. Gal. p. II. p. 50.* Peref. p. 502. *La vie du Cardinal de Richelieu, P. I. p. m. 295, 355. 458.*

30 Ex Henrica de Balzac, filia d'Entragues, altera Concubina, succedanea Gabrielis d'Etree, quam Rex. *Marchionissam de Vernueil* creabat, *Les Intr. Gal. P. II. p. 84. & 90.* nati ipsi sunt a) HENRICVS de BOVRBON, Duc de Vernueil, Episcopus Metensis, *Les I. G. p. 98.* & Peref. p. 502. ß) GABRIELIS, vxor Bernardi de Nogaret, Ducis Espernonii. † 1627. Peref. p. 502.

31 Tertia Concubinarum appellabatur *Jacqueline de Buül, Comitissa de Moret*, quam Rex Philippo de Harlay, Comiti de Cesis in vxorem dedit, sub certa quadam conditione, quæ expressa dans *les Amours du grand Alcandre, ou de Henry IV. p. m. 269. & 289.* Guy Patin. *Tom. I. L. 150. p. 588.* Celebris est hæcce Comitissa in Euphormionis Satyrico sub nomine *Casina*. Alteras deinde Nuptias cum Marchione de Vardes contraxit, Peref. p. 502. Ex hoc Concubitu Regis cum Comitissa de Moret prouenit ANTONIVS de BOVRBON, *Comes de Moret*, Occisus A. 1632. in prælio ad Castelnau dary, Peref. *loc. cit. Les Intr. Gal. p. 114.*

32 Ex Quarta Charlotta des Effards, naturali filia Baronis de Sauo-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 45

Sauotur in Campagnia duas habuit filias, IOANNAM, Abbatissam de Fonteaurault, & MARIAM HENRICAM Abbatissam de Chelles Peref. p. 503. Reliquas Regis Concubinas, quarum adhuc *dans les Intr. Gal.* mentio fit, silentio præteribimus, cum ex illis natos Liberos pro suis non agnouerit, sed solum 8. hos ex his 4. pellibus genitos pro talibus habuerit. Conf. l' Etat de la France Tom. 1. part. 3. Cap. 4. p. m. 494.

Peruenimus in pertexendo Catalogo Liberorum Natura- 33  
lium illustrium Gallix vsque ad modernum Regem Francix, Ludouicum XIV. qui & *πολυτενία* ex vtroque toro strenue operam dedit. Sunt ipsius Concubinæ in omnium notitia, vt actum ageremus, si illarum Syllabum edere vellemus. Quis non verba facere audiuit de famosa *La Valiere*, Ciuis Turonensis filia, postmodum in gynæceo Ducissæ Aurelianensis constituta, *Les Intr. G. p. 2. p. 245.* Postquam aliquoties enixa esset, Rex vberiore fimum affectum ipsi declaraturus, Ducissam de Vauior eam designat, *Les I. Gal. P. II. p. 256.* Tandem cum Regis Amor erga illam frigere cepisset, tædio aut pœnitentia ducta, Aulam relinquit & Cœnobio Monialium Carmeliti regulam profitentium se mancipat, Luissæ de Misericordia nomen sibi imponens. *Les I. Gal. p. II. p. 262.* Quis porro tam hospes in historia hodierna erit, vt altera huius Regis Amasia, *Madame de Montespan*, ipsum fugere possit? *Les Intr. Gal. p. 257.* Licet autem illa in legitimo matrimonio cum Marchione de Montespan viueret, id ipsum tamen Regem non absterere valebat, quo minus amorem prosequeretur, in tantum vt verus Maritus cum suis Liberis migrare in prædium suum, & huic Maiori cedere coactus fuerit *p. 260.* Sicut omnium rerum sarietas, ita mox nouis irretiri amoribus, & pulchritudine *de la Fontange* in stuporem quasi rapi cepit: *Intr. Gal. p. 268.* Postquam prima vice Mater facta esset Ducissæ titulo illam Rex decorauit. Sed hisce suis deliciis non diu frui poterat, quoniam paulo post alterum puerperum illa animã efflauit, potione venenata mortem hanc procurante, vt creditur. *V. les. I. Gal. P. II. p. 282. L'Esprit familier de Trianon. ou l'Apparition de la Duchesse de Fontange, a paris 1695.* Quarto denique loco deperire noster incipiebat *Madame de Maintenon*, quæ gubernatrix



46 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

trix & Ephora Liberorum De la Montespan erat, hanc posterio-  
rem cum Rex frequentius inuiferet, in Notitiam cum ipsius Gubernatrice peruenit, cumque illius singulari iudicio insigniter delectaretur, non æstimare solum illam, sed adamare intensissime inchoabat. Erat illa antea in toro Scarronis, decantatissimi illius  
37 Poëtæ & Satyrici Gallici, quam tamen copulam mors non multo post dissoluit. *Les I. Gal. p. 293.* Ex his Concubinis Rex Franciæ varios sustulit Liberos, qui non solum summis admoti honoribus sed & cum sanguine Regio Bourbonico mutua matrimonia iniuerunt. Ex prima autem Concubina de la Valiere ipsi duo nati sunt  
38 Liberi, filia MADEMOISELLE de BLOIS dicta, quæ Ludouico Armando, Principi Contiaco in thalamum data fuit, & filius LVDVICVS  
39 de BOVRBON, Comes de Vermendois, Thalasiarchus Franciæ. De secunda Concubina copiosior adhuc Soboles ipsi extitit, è cuius numero filia *Mademoiselle de Tours*, & frater COMES THOLOVSIE, Thalasiarchus iudem Franciæ, cœlibes decesserunt. Primogenitus ipsius filius erat LVDVICVS AVGVSTVS de Bourbon, DVX DE MAINE, d' Aumales, Princeps de Dombes, Comes d' Eu, Par Franciæ, Colonellus Generalis Heluetiorum & Grisonum, Gubernator Prouinciæ Languedociæ, Colonellus cohortis pedestris, Eques ordinum Regionum, & Generalis Exercituum suorum. *Les I. G. P. II. p. 299.* Quod quæso syrma dignitatum & honorum in vna persona! In matrimonium insuper adhuc accepit e Regio sanguine prognatam Principissam de Condé; vt sic ex omni parte beatus esset. Sic Ludouicus quoque Princeps de Condé filiam naturalem e Montespan, LVISAM FRANCISCAM in vxorem duxit, qualis felicitas quoque natu minimæ forori obtigit, dum Ducis Aurelianensis filio legitimo Duci de Chartres Coniugali vinculo iuncta fuit, conf. *L'Etat. de la France, Tom. I. p. 3. c. 3. p. m. 492. seqq.* vbi Regis huius Ludouici XIV. Liberorum naturalium mentio quoque iniicitur.

40 Postquam hæcenus perspeximus, quæ sit ratio Liberorum naturalium Regni Gallix in successione, ad Regnum Hispaniæ nunc pedem promouemus, huius quoque Regni Liberorum Naturalium iura ratione successione examinaturi. Videmus & ibi mul-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 47

multos illegitimos solum Regium occupasse. Sic MAVREGATVS 41  
 (vocat & Margaretum & Mauracatum) tyrannide Regnum Legionis & Asturum inuasit, qui Alphonfi I. filius naturalis erat, & ope Saracenorum Alfonsum 2. Legitimum Regem throno deturbauerat, quam in rem quinquaginta nobiles puellas & totidem plebeias Arabum libidini, in tributum annuum pactus est. *Bœcler. in bibl. sec. IX. & X. pag. 33. Arnif. in Politic. p. 446. Pufend. in Intrad. ad Hist. cap. 2. p. m. 57. & DN. Prof. Ludouicus in Continuatione Pufend. p. m. 247.* Ita quoque RAMIRVS Sancti Maioris, Castilix & Arragonix Regis ex pellice Vrraca natus filius, Arragonix Regnum in diuisione paterna obtinuit in remunerationem praestitæ fidei noueræ suæ, de qua proluxe agit Pufend. *cit. loc. §. 4. p. m. 63. & Dn. Prof. Lud. in Nor. ad h. loc. vbi hanc Historiam veritati admodum conformem esse ostendit.*

Nec ignotus est HENRICVS II. Alphonfi XI. ex Eleonora de 43  
 Gusmann Nothus, is enim Castilix ac Legionis Rex factus est, postquam frater ipsius Petrus Crudelis, homo impius & tyrannus insignis, qui complures honestissimos Viros ad supplicium rapuit, & sua ipse manu plerosque interemit, & inter hos etiam uxorem suam ex familia Ducum Borboniorum, teste Frossardo *lib. I. p. m. 51. vers. Latine.* nimia sæuitia sua omnium animos a se auertisset, subditorumque amorem mansuetudine & lenitate sua Henricus sibi conciliaffet, summo applausu omnium Regni administrationem suscepit, & Tyrannū bello victum propria manu gladio confodit. *Frossard. cit. loc. Lib. I. p. 51. 60. Pufend. cap. 2. §. 7. pag. 73. & 74.*  
 Hæc & similia exempla Regum Hispaniæ ex illegitimis natalibus 44  
 ortorum si secundum iustitiæ regulas examinentur, ab illis multū abscedere sine dubio est, cum omnes hæc successiones vitii quidpiam in se habeant, idque tanto magis, cum expressis Hispaniæ Legibus cautum & constitutum sit, ne in successione Regni alius quam filius ex vxore Legitima succedat, *per text. leg. 2. tit. 15. part. 2. Paleaz. d. Mieres. ir. d. Maioratu part. 2. quest. 2. per tot. Florez Diaz d. Mena quest. pract. 16. n. 15. Lib. I. allegati a Myle-ro ab Ehrenb. in Gamologia Cap. 23. §. 6.* Hinc est, quod posterioribus proximis Seculis ex omnibus Liberis naturalibus, qui Regibus



48 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

- gibus Hispaniæ nati fuerant, nullus vnquam ad Coronam aspirare ausus est. Exclusa propterea quoque fuit IOANNA, Henrici IV. Castiliæ Regis filia putatiua, quam vxor eius volente Marito ex Betrando siue Beltramo Cueva conceperat, vnde Ioanna Bertrandica siue Beltramica dicebatur, vid. Puf. in *Introd. ad hist. p. I. cap. 2. §. 8. p. m. 76. & seqq.* & Dn. Prof. Ludov. in *Annot. ad h. L. p. 302. seqq.* Varillas de la *Prat. des Princes* l. 2. p. 85. & 86. Non defuere FERDINANDO CATHOLICO Liberi sui Naturales, qui ex prima Concubina Comite ab Eboly genuit 1.) ARCHIEPISCOPVM SARRAGOSSENSEM, de quo Petr. Martyr. Angler. l. 25. Ep. 499. p. m. 269. & Archiantistes *Cæsar Augusta, Regis ex pellice filius, Vir magnanimus, & bello egregius & pace*, Idem Ep. 506. p. m. 274. & illi filium tribuit DON IOANNEM Aragonum, Cæsar Augustani Archiantistitis filium &c. Varillas de la *pratique de l' Education des Princes* l. 3. p. m. 168. dit. que le Roy Ferdinand auoii voula conferer vne Commanderie des Chevaliers de Callatraua a Ferdinand d' Arragon, Fils legitime de l' Archeueque de Sarragosse son Fils naturel &c. Alter ex hac Concubina filius erat ALPHONSVS de ARRAGON. & 3.) Filia elocata, Bernardus de Ve-
- 46 lasco, Connestabili Castiliano. Secunda eius Concubina vocabatur Toledana de Bibao, quæ illi filiam peperit, in monasterio Madrigalensi monialem. Tertia denique fuit Lusitano quædam e familia de Perreira, quæ illi filiam quoque Monialem deinde peperit. Vid. Varillas dans la *Pratique &c.* l. 2. p. m. 90. Plures Concubinas illi assignat Aubery du Maurier dans les *Memoir. pour seruir al' Hist. de Hollande*, p. m. 104. seqq. ROMANVS quoque A CARDONA, Pro Rex Neapol. credebatur Ferdinandi Catholici Filii naturalis, cumque elegans magis & perpolitus, quam egregius Imperator esset, Iulius II. Papa illum Dominam Cardonam, nominare solebat, v. Petr. Mart. Angler. l. 25. Ep. 483. p. m. 257. qui etiam causam cladis, quam fœderati A. 1512. ap. Rauennates acceperunt fuisse putat, quod Ferdinandus Cardonæ summum in fœderatorum Copias militare Imperium concessisset, cum tamen bellorum plane rudis esset.
- 47 Sequuntur Caroli I. Hispaniæ Regis liberi Naturales, quos inter eminent IOANNES ABAVSTRIA, Ratisbonæ nat. 1547. & mortuus 1578.



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 49

1578. è femina nobili Ratisbonensi genitus, vid. Larray *Histoire d'Angleterre Tom. I. p. m. 925.* Alii dicunt Carolum Ioannem ex Sorore sua Maria Hungaria Regena procreasse; & quo commercium hocce incestuosum occultaret, Barbaram Blombergiam, vt se Ioannis Matrem diceret, subornasse, vid. *Menagiana Tom. I. p. m. 422. l' Histoire de Don Iean d' Autriche, Fils de l' Empereur Charles V. A. 1690. in 12. Amstelod.* Sed Galli sunt, qui talia scribunt. Factus postmodum est Gubernator Belgii, vid. Aubery, *p. m. 75. seqq.* Strada quoque de ipso refert, quod Matre incerta natus sit, rarissimo exemplo, *lib. X. Decad. I. p. 731.* Conf. Becm. in *Const. Dignitat. §. X.* Magdalena Villoa ipsum educauerat, & Blomberga prætendebatur ipsius Mater esse. Vid quoque Puf. in *Introd. ad Hist. §. 11. p. 106.* & Hofm. Waldau in *Carm. Heroicis* vbi sub Tit. Amoris zwischen Siegreich und Rosimunden Amor eius cum Ratisbonensi filia descriptus est, *pag. m. 80-90.* Filia ipsius Naturalis quoque fuit MARGARETHA, nata ex Ioanna Concubina, quæ primitus Alexandro Medicæo, Laurentii notho, Duci Florentinorum elocata fuerat A. C. 1535. Pufend. *cit. loc. p. m. 91.* post huius autem obitum Octauio Farnesio, Duci Parmensi & Placentino, nupsérat, Merula *Cosmograph. Part. II. l. 4. d. Italia p. m. 338.* Natus ex illa est ALEXANDER FARNESIUS, Io. Austriaci in Belgii Gubernatione successor, *Strad. eod. l. 1. Dec. 2. lib. I. seqq.* Hisce Liberis Naturalib. Caroli I. Bernh. Iustinianus in *Hist. Hispanica* accenset adhuc PRIAMVM CONRADVM ab AVSTRIA, & alium IOANNEM, septimo ætatis anno, A. 1530. extinctum. Generos. DN. Imhof. in *Not. Proc. Imp. lib. I. cap. IV. §. 3. in Not.*

Philippo pariter II. Regi Hisp. duo filii naturales ex Isabella 49  
Ofovia geniti, quibus PETRI & BERNHARDINI nomina fuerunt, in libro gallico, cuius tit. *Histoire des Pays-bas lib. IV. p. 818.* adscribuntur, sicuti notat modo laudatus Dn. Imhof. *loc. cit.*

Philippus IV. denique, Hispaniarum itidem Rex, ex fœmina Scenica, *Maria Calderona*, filium naturalem genuit IOANNEM ab AVSTRIA dictum, natum d. 7. April. 1629. atque A. 1642. publica Parentis agnitione legitimatum. Vittorio Siri *Tom. II. del Mercurio L. 1. f. 357.* Supremis ille Muneribus in Regno potiebatur, & titulo



50 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

lo Celsitudinis ab omnibus honorabatur: magni ipsi reditus & Commendis & aliis beneficiis in Hispania quotannis pervenerunt; Prioratu enim Castiliz ordinis Melitenfis dotatus fuerat. Virtutum ac Morum eius specimina in bello Hispano-Gallico edita exhibet Thulden. *A. 1656. Enn. I. L. 6. p. 254. & seqq.* Coronam quoque Polonicam A. 1674. ambiuerat, quamvis irrito Successu, Pufend. *in Hist. Brand. L. 12. §. 70. p. m. 950.* Extremum tandem vitæ tempus Madriti transegit, & mortuus d. 17. Marc. 1679. Vid. Historiam vitæ ipsius in peculiari Tractatu, qui insignitur *La vita di Don Giovanni d' Austria, Figlio Naturale di Filippo IV. Re di Spagna 1686. in 12. Colon. Relat on du Voyage d' Espagne de la Comtesse d'*

§ 1 *Aunoy. Tom. I. pag. m. 79. & seqq.* Dn. Imhof. *cit. cap. §. 9.* Fuerunt adhuc alii Philippo Liberi extra torum legitimum geniti, qui tamen a Patre non fuerunt agniti, v. g. ALONSVS ENRICHES, Episcopus Malagensis, postea A. 1690. Generalis Inquisitor redditus, & 2) FERDINANDVS VALDES, qui Nouaræ primo in Insabria præfuit, postmodum autem summam rei tormentariæ præfecturam in statu Mediolanensi obtinuit, Dn. Imhof. *in Not. ad modo all. §. 9.*

§ 2 Hispaniam cum omnium proxime Regnum Portugallie contingat, recto nunc pede ad illud considerandum progredimur; in quo & illegitimos semper a successione exclusos fuisse, non solum ex multis Testamentis, Chronicis & monumentis Regum ostendit, sed etiam variis exemplis probat Francisc. d. Machedo *Tr. d. aur. succed. in Regn. Lusit. illat. 2. n. 8 & 9. fol. m. 13.* Myler ab Ehrenb. *in Gam. Cap. 23. §. VI.* Equidem ipsum Portugallie Regnum ab initio constitutum fuit super naturalem filiam Alphonfi VI. Castiliæ Regis, THERESIAM ex Semena Concubina natam, quam Henrico Comiti Burgundico elocauerat, A. 1100. ipsique dotis loco ob benemerita egregieque nauatam operam Comitatum Portugallie tradiderat. Pufend. *Cap. III. §. 1. vt sic Portugallie mater Virtus sit, Regnumque istud virtute partum.* Vid. Excell. DN. Cocceii *Instituta Belli & Pacis in statu Regni Portugallici fundata. Sect. I. art. 1. Qu. 1.* licet Lusitani mordicus pro iustis natalibus Theresiæ pugnent interim & Vasconcellus *pag. 3.* Theresiam non ex Coniugali toto natam, & Mariana *Lib. IX. c. 20.* Xemenam, Regis Concubina-  
nam



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS

nam nobilissimam, testimoniis antiquissimorum Scriptorum suffulti, appellant. Vid. Dn. Prof. Ludou. in *Puf. Cont. cap. 3. p. 454.*  
 45. Subsequentibus temporibus tamen in successione semper 53  
 ad legitimam Sobolem respectum fuit, vsque dum Ferdinandus sine liberis legitimis mortuus esset, Portugallique fratrem eius IOANNEM I. Regem proclamassent, qui Petri Regis ex *Agnese de Castro* filius naturalis fuit, & Portugalliam aduersus Reges Castellæ fortiter defendit, ipsumque Ioannem I. Castellæ Regem celebri prælio ad Aliuborattam prostravit, vt sic tandem Pace inter ipsos inita A. 1399. Ioannes Regnum suum quiete gubernauerit. *Pufend. cap. 3. §. 3. p. 159. 160.* Fato functus est A. 1433. magnum sui desiderium apud Lusitanos relinquens, ita vt ob varia memorabiliter ab eo gesta *Rex bona memoria* fuerit cognominatus. DN. Cocceius *loc. cit. art. 2. §. 10.* Celebris quoque in Historia Lusitana est ANTONIVS Ludouici de Beia e *Violenta* filius naturalis, 54  
 Prior Cratenfis; ille Sebastiano in infelicissimo prælio Africano sine prole occumbente, Henricoque Cardinale Propatruo & Successore Sebastiani biennio post eundem *causis* denato, inter multos alios Competitores ad Regnum aspirabat, primo quidem prætendens, se non nothum, vt vulgo rumor curreret, sed ex legitimo matrimonio natum, inque huius rei fidem 3. Testes adduxerat, verum cum in probatione Legitimitatis suæ mox deficeret, & propria Patris assertio ipsi obstaret, qui in Testamento Antonicum filium suum Naturalem vocauerat, Anton. d. *Sousa Lusuan libera- ra L. 1. C. IV.* non deterrebat, quin populi gratia subnixus, qua multum apud illum pollebat, spem adhuc animo alere continuaret. Et res hæc tam prospere ipsi cesserat, vt 55  
 Antonius a populo XIII. Kal. Quintilis 1580. Rex Vlyssipone inauguraretur. Nec defuit ipsi animus lus suum armis contra Philippum Regem Hispaniæ defendendi, quamuis impar viribus & potentia, inde factum, vt, ab illo mox prælio victus, Lusitania excedere, & post multa frustra tentata, & miserum aliquot mensum latibulum in Galliam se recipere coactus fuerit, vbi ægritudine consumptus mortem obiit. Fufius hac de re legatur Hieron. *Connestaggius, Patrius Genuensis* integro Tr. hac de re edito de  
 G2 1002



52 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG

*coniunctione Portugallia cum Regno Lusitania*, tam Italici quam Latini idiomatis. Thuanus *ad A. 1578. & seqq.* Lipsius *in Monitis & Exemplu Polit. Lib. II. cap. 3.* Antonius hic vicissim aliquot post se reliquerat nothos, qui in Belgio fortunarum sedem quaesuerunt & per matrimonium dein familiam suam latius propagarunt, id quod ex Schemate Genealogio a Rittershusio adducto patebit.

Antonii autem, Nothi  
R. Portugallia, filii erant.

I. Emanuel, Princeps Portugallia,  
† 1683. 22. Iun. Vxor. 1.] Emilia,  
Wilhelmi I. Pr. Arausionensis,  
& Annæ, Mauritiæ Ele& Sax. filia,  
nata, quæ † Genæ 1625.  
Aubery du Maurier *dans les Me-  
moires pour servir a l'Hist. de Hol-  
lande, p. m. 181. seq.*  
2.) Louysa Oseria.

II. Christophorus, Venetias  
venit A. 1591. *p. L' Histoire  
de la paix sous Henry IV.  
p. m. 242. & 250. n. 1573.*  
† 1638. d. 3. Iun.

57 De cætero, vti supra n. 52. notauimus, Regnum Portugallia primitus in filia naturali fundatum fuisse, sic etiam hodierna familia Ducum Bragantia ex simili fonte originem suam deriuat. Scimus enim ex Genealogiis, hodiernum Lusitania Regem ad Ioannem Nothum, antea adductum, genus suum referre, neque etiam ex legitima illius stirpe, sed illegitima adhuc ortum esse. ALPHONSVS siquidem naturalis filius dicti Ioannis nothi, Autor & sipes Bragantia Ducum claruit, Lohmeier *in Tabb. Genealogiis, Tab. XXV.* Priusquam Regnum hoc Lusitanicum mittamus, de hodierno Rege Serenissimo Petro, binis verbis annotasse sufficiat, illum filiam suam naturalem Luifam, Principem a Carnida dictam, 17. ætatis anno Duci de Cadaua in matrimonium dedisse 1695. vid. die *Durchl. Welt 1. Pars. 1. p. m. 31.*

58 ANGLIA Regnum conspectui nostro se nunc offert, in quo quid ratione successionis obtineat, breuibus inquirendum. Videmus & hic Anglia Reges, familia Normannica a Rege notho fi-  
ue



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 53

ue Spurio descendere: WILHELMVS enim CONQVESTOR, primus ex hac familia Rex, Patre Roberto Duce Normanniz ex *Arlotte*, pellationis filia, satus erat, cuius amore subito flagrare ceperat, postquam illam ruri cum aliis puellis saltantem conspexisset. *Puffend. Cap. IV. §. 5. p. 193. Wilhelm. Malmesburiens. Lib. III. p. 25. Brompton p. 210.* Expugnauit deinde Angliæ Regnum, ius suum, ab Antecessore Eduardo Confessore per testamentum in hanc prouinciam sibi quæsitum, vindicaturus. Nunquam etiam ipsum puidit originis suæ inferioris, semper enim, iam Anglorum Rex constitutus, ita se scribebat: *Ego Guilielmus, cognomie Bastardus, Rex Anglie do concedo &c.* prout verba Instrumenti Donationis, Alano Duci factæ, sonant ap. *Selden. Titl. of Hon. P. 2. c. V. §. 10. Dn. Becman. in Syntagm. Dignit. Illustr. Diss. XI. c. 4. §. 9.* Fuerunt posterioribus Regibus filii quoque naturales, verum non inueniuntur ex illis quosdam ad solium paternum ascendisse. Vt silentio prætereamus obscuriores & ignobiliores, mentionem in præsentia solummodo celebriorum iniiciamus, quos inter clarent Henrici II. filii naturales ex *Rosmunda* concubina, Cliffordii filia, geniti, WILHELMVS dictus *Longuspata* Comes Sarisberienfis, obiit A. C. 1225. Ipsi tale crectum Epitaphium;

Flos Comitum Guilelmus obit, stirps regia, Longus

Ensis vaginam coepit habere breuem.

Vxor eius erat f. Guilelmi Sarisberienfis, vid. *Henninges Opus Genealogicum Tomi quarti part. postrema pag. 92. & GAVFREDVS Archiepiscopus Eborac. obiit in Gallis A. C. 1212.* Henricus hancce suam intime amatam Concubinam tam prouide custodiebat, ne illa affectibus Zelotypiæ vxoris suæ exposita esset, vt peculiarem Labyrinthum ipsi exstrui curaret. Non potuit tamen totum hoc negotium tam recte geri, quin eius vxor ope globi cuiusd. serico obducti illius conclauæ rescisceret, quo comperto mox veneno illa e medio sublata fuit. Ipsius tumulo hoc Epitaphium inscribebatur

Hic iacet in tumulo Rosa mundi non Rosamunda,

Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

Vid. *P. Abregé de l'Hist. de Angleterre, p. m. 131.* Sustulit adhuc alium



54 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

lium filium naturalem *Morgan* dictum, ex alia quad. fœmina, cuius nomen ignoratur.

61 Eduardus IV. Angliæ Rex quatuor alebat Concubinas, *Abregé de l'Hist. d'Angleterre* p. 267. inter quas agmen ducebat *Elisabetha Lucy*, vnde genitus *ARTHVRVS PLANTAGENETA*, vir ad probitatem & gratiam natus; *Henninges in Theatro Genealog. Tab. cit. 98.* Vice- Comes Angliæ, *Lamb. Syluius Floril. Angl. p. m. 169.* Ordinem periscelidis Regi Francisco I. A. 1527. attulit, vid. *Larray Hist. d. Anglet. Tom. I. p. m. 221.* Præfectus Caletò accusatur proditionis huius munimenti Gallis faciendæ, & propterea ad perpetuos Carceres cum Honoria Coniuge ab Henrico VIII. Rege An. C. 1540. damnatur, *Bœcl. in Hist. Sec. XVI. p. m. 369.* Detecta vero ipsius innocentia rursus liberatur, & a Rege annulo magni pretii donatur, qua de re præ nimio gaudio animam exhalat 1542. vid. *Larray d. l. p. m. 468.*

62 Henricus VIII. Angliæ Rex, polygamus ille, concubina insuper adhuc sua utebatur *Elisabetha Blontia*, quæ ipsi peperit 1519. *HENRICVM*, factum Ducem de Richemond & Vice Comitem; Hiberniæ, du Chesne dans l'*Histoire d'Angleterre, d'Ecosse & d'Irlande*, p. 1030. *Larray Hist. d'Angleterre, Tom. I. p. m. 319.* Mortuus est A. 1536. Du Chesne, p. 1037. *Burnet de la Critique de Mr. Varillas, p. m. 16. seq. & p. 58. seqq.*

63 Carolus II. M. Britannia Rex, etsi in sterili Coniugio cum Catharina Lusitanica viueret, numerosam tamen sobolem e Concubinis suis tulerat, siquidem e septem pellicibus tredecim liberos naturales suscepit, quorum plenum Catalogum Generos. Du. Imhof in *Genealog. Magn. Brit. Part. 1. c. 9. Tab. XIII.* nobis exhibet. Hinc supersedemus illis recensendis, & vnum vel alterum solummodo ex illustrioribus allegabimus, e quibus maxime

64 claret *LACOBVS* Dux Monomuthensis, qui cum matrem suam Carolo Regi iusto matrimonio iunctam fuisse prætenderet, contra Iacobum II. arma sumebat, quæ tamen audacia ipsi infelicissime cessit, ita vt prælio victus, inque fossa, vbi se occultauerat, inuentus captusque, breui post ante Turrim Londinensem d. 15. Iul. securi percussus fuerit, quorsum versus pertinent supra c. 1.



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 55

n. 26. a nobis adducti; quamvis supplicib. verbis Literisque Regis  
 Gratiā sibi exorare studuisset, varias excusationes adducendo,  
 coactum se Regis titulum assumisse, proclamationem se invito  
 factam, imo Carolū Regem ipsi sibi dixisse, matrem suam con-  
 cubio sibi haud fuisse iunctam; Puf. *Rer. Brand. Lib. 19. § 5. & § 85.*  
 ubi iudicat Monomuthensem propterea male digestis ausis suis  
 excidisse, quod exscensu in Angliam facto, statim Regem se pro-  
 clamari iussisset, cum potius pro defensore religionis atque liber-  
 tatis se interea gerere debuisset, hoc modo sine dubio magnum  
 hominum concursum sibi attracturum fuisset. Infelicem vero 65  
 huncce Iacobum reuera filium naturalem Caroli II. fuisse, ex i-  
 psumet Parentis confessione patet, cum iam ipso adhuc vi-  
 uo hac super re dubium exortum esset, dann *S. Majest. erklär-*  
*te sich bey vollsigendem Rath/ daß Er mit niemanden als der Königin*  
*vermählt geleet/ und Er also folglich keine rechtmäßige Kinder und*  
*Erben hätte: Er selbst besiegelte diese Erklärung/ und ließ Sie in*  
*die Geheime Schreiben einzeichnen. vid. das Neu geharnischte*  
*Britannien fol. 681. DN. Bec. in Synrag. Dignit. cit. cap. §. 10. Ex* 66  
 his filiis naturalibus Caroli II. HENRICVS DVX GRAFTONVS quo-  
 que ob fidem in patriam, hodiernumque Regem Wilhelmum, non  
 incelebris est, qui A. 1690. mortem oppetiit. Mater huic Graf-  
 tono erat *Barbara Villiers*, Ducissa de Cleueland, vxor postmo-  
 dum facta Catehmaini, qui a Rege Iacobo II. Romam Legatus  
 missus erat, testandæ erga Pontificem venerationi, cum is Ro-  
 manos Ritus in Regno suo introducere anniteretur. Vid. DN.  
 Puf. in *Hist. Brand. Lib. XIX. §. 86.* Inter ceteras Concubinas Re- 67  
 gi cumprimis in deliciis erat *Ducissa de Portsmouth*, quam e Her-  
 rietta Maria, Caroli I. Regis Coniuge, postquam illa ipso e viuis  
 sublato secundis nuptiis Duci St. Albano se sociasset, natam esse  
 refertur in Libro Germanico, von Leben und Thaten Caroli II.  
 und Iacobi II. beschrieben von denen Protestanten in Engelland/ p.  
 m. 14.

Superfunt adhuc hodierni Iacobi II. in Gallia nunc degen- 68  
 tis, Liberi naturales, qui ex *Isabella Churchill*. Concubina ipsi nati  
 sunt, nempe *LACOBVS Dux Barnici, & HENRICVS, Eques Melitenfis, v-*  
 na



na cum filia *Madamoiselle RABY* in nouis dicta, quæ *Comiti d'Anglesey* in torum data fuit A. 1699. Quid vero de hodierno Principe *Walliæ* sentiendum, quem communiter pro partu supposititio venditant, num in nostram quoque *Classem* sit referendus, non adeo, exploratum est, sed cum hac super re iudicare nobis fas non fit, hanc controuersiam aliis relinquimus, illud solummodo addentes eum multo deterioris conditionis esse filiis nostris naturalibus, si euietum & probatum sit, aliunde hunc partum decerptum  
 69 esse. Hoc itaque modo per tot exempla luculenter demonstratum dedimus, constanter hæctenus in regno *Angliæ* obseruatum fuisse, ne filii naturales dignitatis *Regiæ* fierent capaces, licet cæteroquin de sat dignis origini suæ muneribus & honoribus ipsis semper fuerit prospectum.

70 Cum ante coniunctionem *Regni Angliæ* cum *Scotico* sub *Iacobo I.* factam *Regnum Scotiæ* peculiaribus *Regibus* gubernaretur, liceat breuissimis in antiquiorem eius *Historiam* nunc ascendere, & quid *Iuris* in hoc *Regno Liberis Naturalib. Regiis* fuerit, contemplari. Inuenimus & ibi nonnullos *Filios Naturales*, qui *Regnum* hoc moderati sunt. Ita *GILLVS*, nothus filius *Eueni I.* fit *Rex Scotorum*. In prælio dein cum *Eueno II.* commisso, ab ipso superatur, & postquam a suis destitutus esset, mutata veste in propinquum nemus fugit, cumque diu quæsitus fuisset, tandem in obscuro antro repertus & trucidatus, A. M. 389 i. *Regni sui* 13. vid. *Henninges in Theatro Genæal. sub familia Regum Scotia*, p. 148. Du Chesne dans l' *Histoire d' Anglet. d' Ecosse & c. Lib. IV. p. 187. Lit. D.* Pari felicitate gauisus erat *DUNCANVS*, *Nothus Milcolumbi III.* qui apud *Guilielmum Rufum Angliæ R.* diu militauerat, pulso vero *Donaldo Bano Rex Scotorum* factus erat; Homo fuit militaris & artium pacis non admodum gnarus, hinc cum imperiosus, quam ciuilis ratio exigebat, omnia tractaret, breui in maximum maioris partis odium incurrit. Id cum *Donaldus Banus* exul, ad omnes eius motus intentus, rescisset, corrupto *Marcpendiro*, *Merniæ Comite*, *Duncanum* interfici curat. Du Chesne cit. loc. XI. p. 440. Lit. A. *Henninges* p. 157.

73 Inter *Scotiæ Reges* vltimos e *Stuartina familia* fuisse, omnibus constat



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 57

stat, hanc autem a VVALTERO originem suam trahere refertur, quem filium naturalem Fleanchi fuisse perhibent. Fuit is Milcolumbi, Scotiæ Regis Dux aduersus Gallouidianos & Hebrides. res. que felicissime gesfit, ita vt ab ipso in præmium virtutis suæ bellicæ *Stuartus* h. e. Oeconomus totius Scotiæ factus fuisset, qui titulus postmodum cognominis loco integræ huic familiæ permansit, quæ vsque in hunc diem floruit ac viguit. Du Chesne *Lib. XI. p. 439.* Henninges, *p. 164.* In hac Linea Stuartina posteriores cum primis Reges filios naturales reliquerunt quorum nomina adhuc in memoria sunt. Ita Iacobus IV. Scotiæ Rex e Concubina genuit IACOBVM STVARTVM, *Morauia Comitem* factum A. C. 1515. Constutus is est Vicarius Regni Scotiæ A. C. 1530., & missus in Galliam Legatus ad adducendam Iacobo V. fratri vxorem A. C. 1534. Ducis bellici munere aduersus Anglum defungens, obiit *Ætatis. vid. Henning. in sapius alleg. Opere Genealog. p. 108.* IACOBVS N. SCOTIÆ 75 REX egregiam quoque habuit copiam Liberorum Naturalium, e quibus cogniti sunt, GVILIELMVS, *Morauia Comes*, IACOBVS, *Comes Arania, Prior Fani Sancti Andree, Marria postmodum & dein Morauia comes* creatus a Regina sorore, v. *Les Memoir. de Meluil. l. I. p. m. 79. & l. 2. p. m. 102.* tandem a Iacobo Hamiltonio globulo plumbeo per insidias interficitur 10. Febr. 1572. Vxor ipsi erat Agnes Keta Comitissæ Martialis filia, in matrimonium ducta A. C. 1560. vid. Henninges, *p. 171.* IOANNES & ROBERTVS, vna cum IOANNA STVARTICA Comiti d' Argile in matrimonium data. vid. *Les Memoir. de Meluil. l. 2. p. m. 98.*

Ad Septentrionalia Regna nunc nos collaturi, REGNUM DANIAE 76 primum se nobis exhibet, in quo & Liberos Naturales quorundam successisse, testis est Adamus Bremenfis, qui *lib. 2. Hist. Eccl. c. 54.* apud Danos hanc consuetudinem quondam valuisse, filiosque Canuti ex pellice susceptos ad successionem admissos fuisse refert. Sic enim ille inquit: *Ceterum Suein & Harold a Concubina genuerant. Qui, vt mos est Barbaris, aquam tunc inter Liberos KNVT sortiti sunt partem hereditariæ.* Ex quo videre est, hoc institutum a barbarorum more oriri, a quo postmodum cultiores Gentes recesserunt, iudicante *Thero d. feud. Imp. Cap. XIV. §. 2.* Occurrit 77 ad



58 CAP. III DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

adhuc aliud exemplum in Historia Danica, vbi verbo Regneri cognomento Lohbrodt, vel Lohbroghi, vt eum Bœcler. appellat in *Hist. sc. IX. & X. p. m. 80. e pellice Hesperni Sueci filia filius naturalis*, absente patre & bellis Biarmicis occupato Regnum inuadit, & gubernat, quem tamen pater rediens ceperat, & Hespernum cum exercitu puniuerat A. C. 812. Henning. in *fam. Danica p. 200.*

78 Cum itaque filiorum naturalium in successione apud Danos nulla amplius hodie habeatur Ratio, breuibis solummodo adhuc recensere liberos naturales trium proxime defunctorum Serenissimorum Regum Dania.

79 Christianus siquidem IV. complures Liberos ex vxoribus suis secundariis genuit, e *Carbarina* scil. *Andræ*, 10. VLICVM a *GVLDENLEVV* A. 1658. Hafniae mortuum, e *Carbarina Munckia*, filium *CHRISTIANVM Woldemarvm Comitem Holsatia*, notissimum ob frustra susceptam in Rusiam profectiorem illiusque dura fata, sustulit. Postquam enim ille Czaris filiam Irenem in Vxorem amississet, & magnifico cum Comitatu Rusiam ipse adisset, Czarius has nuptias recusabat, donec Woldemarus ritibus religionis suæ nomen daret, id cum Woldemarus renueret, & se solummodo eludi animaduerneret, clam fugam meditabatur, sed agnitus sistitur, & cum vi perumpere conaretur, indignius adhuc tractatur, arctiorque custodia includitur, in quo hospitio tamdiu comorari cogebatur, donec A. seq. 1645. Czarius fato functus esset, ipseque filius suus *Alexius Fœderowicius* successisset, qui hunc captivum non solummodo mox carcere liberauit, sed liberaliter adhuc donatum dimisit, quamuis sine sponsa. Vid. *Pufend. in Hist. Suec. Gust. Ad. lib. XIV. §. 74. lib. XV. §. 75. & 76. & lib. XVI. §. 70. Piaficc. in Chron. Polon. fol. 525. Brachel. Lib. VI. ad A. 1645. p. 99.* Tandem

Suecis in Polonia militans, Lublini A. 1656. morbo militari obiit. Ex eadem quoque *Munckia* Christianus IV. sex filias suscepit, *FRIDERICAM SOPHIAM ELISABETHAM*, Christiano a Penzen, S. R. I. Comiti, Consiliario Regio A. 1634. nuptam, *FRIDERICAM ELEANORAM*, Cornificio Vlesfeldio Regni Drozeto elocatam, *FRIDERICAM ELISABETHAM AVGVSTAM*, Ioannis a Lindenau Senatoris Regni Coniugem; *CHRISTIANAM*, Hannibali Scestätt Pro-Regi

Nor-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 59

Norwegiæ nuptui datam; *FRIDERICAM HEDWIGEN*, Ebbonis Viefeldii vxorem, & *DOROTHEAM ISABELLAM*, monialem Colonia; prout Syllabus horum Liberorum ad Dn. Imhof, in *Not. Proc. Imp. lib. IV. c. 9. §. 19.* traditur. Tandem Christianus IV. e *Wibeke*, quam in locum heræ ipsius Munckiz repudiatæ & arci Bollar inclusæ, adamare ceperat, *CRISTIANVM VLRICVM* a *GVLDENLEW*, variis Legationibus in Galliam, Sueciam & Hispaniam celebrem, Pufend. *Rev. Suec. L. 6. §. 48. & §. 112. lib. X. §. 80. Lib. XI. §. 61.* Hispanis quoque in Belgio Excubiarum præfecti titulo merentem, denatumque A. 1661. & *ELISABETHAM* Nicolao ab Ahlesfeld nuptam, procreauit.

Fridericus quoque III. Daniæ Rex suum habuit filium <sup>82</sup> naturalem *VLRICVM FRIDERICVM GVLDENLEVIVM*, Comitem in *Larwigen, Iarlsberg, & Herzborn*, Vicarium Regis in Norwegia, & supremam rei militaris apud Danos curam d. A. 1680. ipsi collatam, gerentem. Bis nuptias celebrauit, primo cum Cæcilia Grubben, ex nobili familia profata, a qua cum se separari passus esset, ad secunda vota cum Antonia Augusta, Antonii Guntheri Comitis Altenburgici filia transit, ex qua numerosam sobolem sustulit, quæ passim in Genealogiis obuia, vid. Dn. Imhof *In Not. proc. Imp. Lib. IV. c. IX. §. 30.* Extra coniugium nihilo tamen minus e nobili femina *de Ouren* filium naturalem quoque *WOLDEMARVM VLRICVM* dictum genuit, *Baronem de Læwenhal* creatum, qui nobilem de Brocksdorff in torum suum duxit. Vid. Imhof. *loc. cit. & die durchl. Welt/ P. I. p. m. 105.*

Succedunt nunc Christiani V. gloriosissimæ memoriæ Daniæ Regis Liberi naturales, quos *Sophia Amalia Mothia*, Medici Regii filia, *Comitissa de Samse* encomio exornata, ipsi peperit, tres videl. filiz & bini filii, quarum prima *CHRISTIANA*, Friderico iun. Comiti ab Ahlesfeld A. 1687. nupserrat, & A. 1689. d. 12. Sept. naturæ debitum persoluerat; altera *SOPHIA CHRISTIANA*, Christiano Detleuo Com. Ranzouio promissa, sed A. 1684. d. 18. Aug. hæc Sponsa morte intercepta fuerat; tertia denique *ANNA CHRISTIANA*, Comiti de Reuentlau desponsata, sed morte pariter præuenta erat d. 11. Aug. 1689. Filiorum natu maximus *CHRISTIANVS GVLDENLEWIVS* appellatur, n. 1691. cupremus Locum-



60 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

tenens Regis & Eques Ordinis Elephantiaci, & Prorektor Norvegiæ, alteri vero nomen est VLRICI CHRISTIANI *Guldenlöwis*, nato 1678. Equiti similiter dicti ordinis, & præfecto Wiburgensi, nec non Archithalasso Danico. *Dn. Imhof. in Not. proc. Lib. IV. c. IX. §. 29. die Durchl. Welsch Part. I. p. 103.*

84 Antequam *Regnum Norwegia* cum Regno Daniæ a Margaretha, Semiramide illa Danica, coniunctum atque combinatum esset, habuit illud suos peculiare Rectores, inter quos quandoque etiam Nothi irrepserunt, quos inter refertur HAQUINVS ADELSTENVS, Haraldus Horfagii concubina filius. Audito patris obitu in Norvegiam is reuertitur, fratremque pellit. Inauguratur deinde Rex inter Noruegicos tertius numero. Occisus postmodum ab Haraldi filio, vel sec. alios, in victoria obtenta contra Heraldum Successorem, telo ex aere diuinitus in caput eius vibrato, occubuit A.

85 C. 959. regni 27. vid. Henniges *in fam. Regg. Norveg. pag. 221.* In hac Classe quoque locandus SVENO Rex Noruegiæ X., a Canuto Magno Daniæ Rege ex *Aluina*, Concubina, Olao Crasso Noruegiæ

86 Regi erepta, genitus, Henn. *fol. 222.* Quænam vero sit hodie horum Liberorum intuitu successione ratio, ex ante dictis de Regno Daniæ æstimandum, cum hæc duo Regna perpetuo hætenus nexu fuerint administrata, ut hinc quicumque Coronæ Daniæ capax est, ad Noruegicam simul admittatur, & contra. Vnde merito Molevorth *dans l'Etat du Royaume de Danemarck*, ubi dicit, Regem Fridericum III. Daniæ cogitasse, filium suum naturalem Regem Noruegiæ proclamare, refutatus fuit ab Anonymo quodam *dans la defense de Danemarck. p. m. 137. seqq. & 142. seqq.*

87 Tertio loco inter tria hæc Regna Borealia considerandum venit Regnum SVEDIÆ, quod & suis gaudet naturalibus; Sic EMVNDVS Rex Sueciæ cognomento vilis pro notho habetur, *Loccen. in Hist. Suec. Lib. I. p. m. 29. Pufend. in Continuatione Historiæ Regnor. Europaë §. 35. p. m. 66.*

88 Posterioribus dein temporibus naturales semper Legitimi in successione fuerunt exclusi, & cultiorum Gentium mores hac in re quoque fuerunt observati. Interim tamen Liberi Naturales posteribus quoque Regibus non defuere, Sic



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 61

Sic Carolus IX. Rex Sueciæ filium naturalem genuit, dictum CAROLVM CARLSOHN GILDENHELM, *Baronem de Berquara*, Admirabilem Sueciæ, *Rittershuf. in Tab. Genealog. sub Regg. Succ. Puf. in Contin. Hist. p. m. 546.* Gustaphi Adolphi, Magni illius Herois, filius naturalis GUSTAVVS GUSTAVSOHN nominabatur, Comes in Wafenburg, qui A. 1632. Reçtor Magnificentissimus Academix Wittebergenfis erat. vid. Andr. Sennerti *Arthenam Wittenberg.* Tribunus quoque erat Legionis equestris, *Pufend. Lib. VIII. §. 65.* nec parum ad victoriam a Cæsareis ad Oldendorpium A. 1633. reportatam, conferebat. *Puf. Lib. V. §. 64.* Copias e Pomerania Bannario adducit, *Id. Lib. IIX. §. 51.* & a Regina Christina Osnabrugensi præfultato donatur, *Lib. VI. §. 29.* hinc præfidium Suecicum Osnabrugæ deducere recusat, *Lib. XV. §. 44.* a Regina vero iustus, illud postmodum deducit, *Lib. XV. §. 49.* tandem in Inst. Pac. Osnabr. *art. 13. §. Cum Domus &c. primo &c.* renunciat Iuri suo in Episcopatum Osnabrugensem, in compensationem octaginta millibus Imperialium acceptis.

Carolus denique Gustavus, Sueciæ Rex Augustissimus, filium naturalem relinquebat e *Brigitta Alleris* genitum, qui Comes GUSTAVVS CARLSOHN appellabatur. Apud Batauos is egit, ibidemque A. 1685. Sophiam Amaliam Bar. de Schvvarzenberg vxorem duxit. *Dn. Imhof. in Not. Proc. I. Lib. IV. Cap. 1. §. 20. not. (1)* A Brandenburgicis in Borussia capitur, *Puf. Rerum Brand. Lib. XVII. §. 5.*

Excipit hæcenus adducta Regna Europæ REGNVM POLONIÆ, in quo Lesus III. viginti naturales filios habuisse dicitur, BOLESЛАVМ nempe, CASIMIRVM, VLADISLAVM, VRATISLAVM, ODDONEM, BARVINVM, PRZIBISLAVM, PRZEMISLAVM, MAXA, SEMIANVM, SEMOVITVM SENOMISLAVM, BOGDALUM, SPIEZIGATVM, SPIEMERVМ, SBIGNEVM, SOBESLAVM, VISSIMIRVM, CZESIMIRVM, & VISLAVM, quibus omnibus & singulis Rex Pater sua Apanagia constituerat, quæ recenset Springsfeld *in Tr. d. Apanag. Cap. III. §. 27. p. m. 73.* Arnif. *de Rep. p. 446.* Nec ignotus in Historia Polonica est Vladislai I. filius illegitimus SBIGNEVS, qui contra patrem multa temerario ausu mouerat, nihilominus tamen ab illo Masouix & Cuiavix Dominus constitutus erat. *Mart. Chrom. in Chron. Pol.*



## 62 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG

- L. 5. in Boleslao III. Consentiente tandem fratre eius Boleslao vel exoculatus, vel interfectus est, A. C. 1129. vid. Henning. in *Theatr. Geneal. sub fam. Sereniss. Regg. Pol. p. m. 287.* Inter nouissimos eminet Vladislai Sigismundi, siue Vladislai IV. Regi Poloniae, filius naturalis ex nobili Polonica genitus, & *CONSTANTINVS* Comes de *WASENAV* appellatus, propterea quod ipsius pater a Gustavo Wasa Rege Sueciae descenderet. Fuit is primum praefectus Cohortis Helueticae ap. Christinam Reginam Sueciae, Romae degentem, postmodum ipsius palatio ab illa praefectus erat, tandem ipsa defuncta ab Alexandro VIII. Pontifice Eques honoris (Cheualier d' honneur) factus, in quo munere postmodum ab Innocentio XII. confirmatus fuit. vid. *P. Histoire des Intrigues galantes de la Reine Chrifine de Suede a Rome, pag. 122. -- 147.* vbi breuius vitae ipsius, factorumque eius delineatio traditur. Ipsa denique hodierna *REGINA VIDVA*, ultimo defuncti Poloniae Regis Coniux, filia naturalis esse dicitur Mariae, Vladislai & Io. Casimiri duorum fratrum successiue Coniugis, quam e Cinqmaro concepisse, cum adhuc soluta in Gallia viueret, narratur *dans P. Histoire des Intrigues Galantes de France, Tom. II. p. m. 162.* Ad ipsum tamen Regnum ex naturalibus quendam promotum esse, reperire non licuit. Interim Proceribus aliquem eligere volentibus, non dubitamus quin naturalis ad istud fastigium euehi possit.

- 26 Ad *HVNGARIE REGNUM* gressum vltius proferendo, inibi se nobis sifit Matthias Coruinus, siue Hunniades dictus, Rex Hungariae. qui non modo *BEATRICEM*, filiam naturalem Ferdinandi Regis Neapolitani, qui nothus quoque Alphonfi Regis Aragonum ex *Vilardona Carlina* erat, toro suo induxerat, mulierem procacem, sicuti illam indigitat Ludouicus Tubero in *Comment. de Reb. Pannon. L. I. p. m. 9. & LII. p. m. 23. seqq.* verum insuper quoque filium naturalem *IOANNEM CORVINVM* ex Concubina quad. susceperat, qui post mortem Patris Regnum affectabat, vid. *Tubero Lib. I. p. m. 9. 16. & 23. seqq.* Nadani de Kerez *Florus Hungaricus c. 18.* tandem tamen Vladislao Bohemiae Regi accepta Dalmatiae praefectura cedebat, Tubero *L. II. p. m. 35.* illique contra fratrem Ioan-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 65

Joannem Albertum opem ferebat, Id. L. VI. p. m. 83. Turcas itidem Dalmatiam irruentes repellebat, Id. L. 6. p. m. 159. seq.

In *Bohemia Regnum*, illiusque incorporatam provinciam, Mar- 97  
 chionatum *Moravia* si oculos intendamus, in eius quoque Hi-  
 storia Spurius vel analogi quid deprehendere licebit. Suato-  
 plucus nimirum *Maravia* Rex *Mogemirum* filium suum, sed ante  
 legitimas nuptias natum, iuuenem iam tum excellenti virtute  
 fortitudineque præditum, & rei militaris peritum, conatibus  
 Hungarorum inuigilare iussit, *Pessina in Mart. Morauico, c. 6. p. m.*  
*195.* Pater vero Suatoplucus seu Zundibolch Rex *Marahensium*  
*Slauorum* A. 894. moritur. *Rhegino prim. l. 2. Chron. ad A. 894.*  
*Auentin. Annal. Boior. L. 4. Pessina d. c. 6. p. 205.* Hoc defuncto ex- 98  
 citata fuit inter Proceres *Moravia* de Regis electione concerta-  
 tio grauit, nonnullis ad *Mogemirum* filium defuncti Regis pri-  
 mogenitum, sed ante legitimas nuptias natum, ob eius eximias  
 animi & corporis dotes inclinantibus; aliis vero cum Archiepi-  
 scopo pro *Suatobogio*, utpote herede legitimis natalibus orto,  
 stantibus: Nullatenus enim admitti posse asserebant, ut potior in  
 Regno habeatur filius ancillæ præ filio liberæ, notam eo modo inu-  
 ri indelebilem Regno & Genti; ideoque *Suatobogium* omnibus  
 anteferri oportere, uti & factum. *Mogemirus* quoque acquieuit,  
 illud tamen nec disimulare potuit nec filere: *Sperare se in Re-*  
*gno Patris aliquam saltem regionis partem octenturum, ne penitus ex-*  
*torris videatur.* *Suatobogius*, annitente *Arnulpho Imp. auuncu-*  
*culo*, Rex eligitur, *Mogemiro*, quo quietius se contineret, pars  
 Regni ad vagum concessa, vid. *Pessina L. 2. c. 7. p. m. 207. 208. 209.*  
 qui etiam p. 210. seq. bellum inter fratres ortum narrat. *Mogemi-*  
*rus* postmodum in prælio contra Hungaros A. 901. occiditur, Vir  
 profecto Heroicis connumerandus ingeniis, Regni que *Morauici*  
 columnen, quo sublato breui & Regnum ipsum non labare tan-  
 tum, sed ruere visum est. vid. *Auent. f. 370. ap. Pessinam d. l. p. m.*  
 220. Ex *Bohemia* Regibus memorabilis est *Premislaus III. Ottoca-* 99  
*rus*, a *Rudolpho I. Imperatore* in prælio occisus. Hunc cum vxor  
 ad generandam prolem in idoneum dixisset, quo sterilitatis no-  
 tam a se amoliretur, sese procreandis Liberis idoneum in nobili  
 qua-



64 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

quadam puella Austriacæ gynæceo vxoris ostendit, permittente id vxore Margaretha; Generavit autem ex illa primo Anno filium nomine NICOLAVM & postea filias plures a summo Pontifice legitimatas, & Proceribus quibusdam Bohemicis elocatas. vid. *Pesfina Mart. Morau. L. 3. c. 7. p. m. 368. Henninges in Theatr. General. sub fam. Ragg. Bohem. p. m. 262.*

100 Excurrendum nunc nobis foret in Regna quoque SICILIE & NEAPOLIS, aliaque Europæ Regna, illorumque Naturales conqui-  
rendi, vbi vel in solo Siciliæ Regno tres vna vice sese offerunt Reges Nothi, TANCREDVS, videl. qui †1194. MANFREDVS, Fride-  
rici 2. Imperatoris nothus filius, & FERDINANDVS, Alphonfi Arra-  
gonii filius naturalis. Ita Renatus Rex Neapolitanus, Dux Lo-  
tharingiæ & Andegauenfis, IOANNEM ANDEGAVENSEM filium natu-  
ralem genuit, vnde prouenerunt Domini de Souliers, S. Remy &  
S. Canal, v. Godefroy *ad Comin. p. m. 174. & 179.* Sed cum immen-  
sus hic Labor foret, omnes & singulos conquiendi Liberos natu-  
rales, præsertim in Regnis, quæ hodie peculiaribus Regib. non  
amplius gubernantur, huic operæ merito superfedemus, & cupi-  
dum Lectorem ad Historicos Genealogosque ablegamus.

101 Antequam ad Germaniam Nostram nunc nos accingamus,  
digitum duntaxat ad vnam & alteram FAMILIAM GALLIÆ & ITA-  
LIE adhuc stringamus, quæ Naturalibus potissimum Liberis in-  
signis est, quosque binis tantum verbis allegasse sufficiat. Sic  
IOANNES Comes de DVNOIS, dictus Bastardus Aurelianensis,  
Ludouici Aurelianensis, Caroli VI. Regis Franciæ, ex vxore Au-  
berti Cannii filius nothus fuit, insignis bellator, spes Franciæ, de-  
cûs & columna. Busfiere *Hist. Franc. L. II. p. m. 557.* a quo Duces

102 Longeauilli descendunt. Talis fuit Legatus Regis Galliæ ad  
Pacem Westphalicam Henricus Aurelianensis, vt Literæ pleni-  
potentiariæ Regiæ habent, quibus & cognatum suum Rex appel-  
lat: Dilectissimo & amantissimo Cognato nostro, Henrico Aure-  
lianensi &c. Vltimus horum A. 1672. in bello contra Hollandos  
occisus, ex vxore Marefchalli de la Ferte, viuente hoc, procrea-  
uit filium, dictum: Le Chevalier de Longueville, quem Rex  
Galliæ legitimis natalibus restituit, non iniecta mentione Matris,  
quod



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS 65

quod fingulare, vid. *L'Etat de France de l'An. 1686. L. I. p. 3. c. 5. p. m. 668. seqq.* DVCEs pariter Burgundiæ Liberis naturalib. procreandis non parum operam dederunt. Ita Ioannes intrepidus, Dux Burgundiæ nothos habuit 1) Ioannem Archiepiscopum Cameracensem, 2) Guidonem, qui bellum sequebatur, & 3) Philippum, bastardum Burgundiæ, vid. Fabert. dans l'Histoire de Bourgogne p. m. 68. Carpentier l'hist. de Cambrai, Vol. I. p. m. 405. seq. Philippi III. cognomento Boni Liberi Naturales erant, Cornelius, primogenitus filius naturalis, Dominus de Beuero, Gubernator Luxemburgi, qui ex Margareta Corbaudæa itidem naturalem sustulit, Ioannem, Dynastam eluërdinge, vid. Fabert. d. l. p. m. 222. Philippus, Dynasta de Somerdick & de Blaton, Archithalassus Hollandiæ, & postmodum Episcopus Ultraiectinus, fatis concessit Dorstadii 1524. vid. Fabert. d. l. p. 170. Antonius, Magnus bastardus Burgundiæ, Eq. Aurei Velleris, cui similiter filius erat Philippus Burgundicus, Dynasta de Bevres, vid. Fabert. d. l. p. m. 163. & 253. Balduinus Burgundicus, Fabert. d. l. p. m. 253. Rittershus. in Tabb. Genealogicis, sub Ducibus Burgundiæ, Tabb. II.

In ITALIA porro non leuis Nothorum & Liberorum Naturalium seges conspicitur, forsitan quod verum sit, quod de Italis scribit Cominaus, *Lib. 7. c. 2. p. m. 326. Ils ne font, pas grande difference au pais d'Italie d'un Enfant barard a un Legitime.* Sic Hugo Italiæ Rex, Berthæ filius, pater enim ignoratur, vid. Luitprandus Ticinensis l. 3. c. 3. Frodoard. ad A. 824. Sigon. d. Regn. Italiae lib. 6. Ann. 927. p. m. 156. seqq. Contr. d. fin. Imp. c. 12. §. 9. p. m. 109. ex variis Concubinis innumeram fere progeniem tulit. Concubinae enim seruitia ipsi præstitit Bezola, e vilissimorum Sueuorum sanguine creta, quam Venerem dixit, e qua genuit 1.] Bertham, quam Græci Eudoxiam dicunt, Luitprand l. 5. c. 9. & 2, 2.] Bosonem, Episcopum Placentinum, Sigon. p. m. 162. Roza quoque Walberti filia, Inno a Rege dicta, quæ illi miræ pulchritudinis filiam peperit, vid. Luit. l. 4. c. 6. Stepbania itidem, genere Romana, Semele a Rege dicta, vnde natus Theobaldus, Archidiaconus Mediolanensis, Luitprand. l. 4. c. 6. Sed quoniam Rex non solus hisce utebatur earum nati ex incertis Patribus originem ducunt, vid. d. c. 6. in fin. Wandelmoda postmodum nobilissima mulier, e qua natus Hubertus, Tusciæ prouin-



## 66 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG

Princeps potens, vid. Luitpr. l. 3. c. 5. Hugo autem multarum Concubinarum illecebris deceptus, coniugem Bertham male habebat, Luitpr. l. 4. c. 6.

- 106 Ad recentiora tempora progredientes, plurimæ hodiernum familiæ Celsissim. in Italia regnantes quosdam etiam naturales in suis stemmatibus recensent. Inter *Medicæos*, claret *Iulius Medicæus*, Archiepiscopus Florentinus & Cardinalis, tandemque summus Pontifex, sub nomine Clementis VII., Lohmeier, in *Tabb. General. Tab. 102. Parr. 2.* cuius quoque filius naturalis *Alexander Medicæus* perhibetur, *ibid.* Celebris quoque est *Hippolytus Medicæus*, a Iuliano II. e nobili vidua genitus, & Cardinalis postmodum factus A. 1529., qui eodem modo *filium notbum* Equitem Sancti Ioannis Melitenfis factum, procreavit. In *Ferrariensi* stirpe Nicolai & Concubina geniti filii nothi, *Leonellus* & *Borsus* anteverunt in successione Marchionatus fratres legitimos, e quibus Hercules I. defunctis prius fratribus nothis, demum in Marchionatu succedit, relicto itidem post se filio notho, *Iulio*, Lohmeier, *Part. 2. Tab. CIV. E. Mediolanensibus* nota satis est *Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis* ex *Agnete de Maino* genita filia notha, *Blanca Maria*, quæ in manus *Francisci Sfortiæ* venit, qui quoque vi iuris vxorii in Ducatu succedit, multis licet eius imperio obnitentibus. Lohmeier. *Tabb. 101.*

- 108 Hisce exemplis præmissis de tot tantisque successionebus Nothorum & Spuriorum in tam diuersis Regnis & Prouinciis factis, subiungimus nunc ipsam Quæstionem Iuris, *Annon filii Naturales in Regno paterno succedere possint?* Abstrahimus nimirum a patris fundamentalibus, quibus legitime geniti Successores in Regno exiguntur, & quæstionem de mere iure Naturæ consideramus. Equidem putant nonnulli, propterea quod Grot. *d. I. B. & P. Lib. 2. c. 7. §. 8.* Naturalium & Legitimorum discrimen lege introductum esse dicat, illum differentiam inter hosce Liberos soli Iuri Ciu. adscribere, quo fundamenti loco posito, cum euidentis sit Reges & Imperantes Iure Ciu. non teneri, inde patere, etiam Naturales in Regno succedere possent. Fouet hanc sententiam Hornius in *Architæctonica Lib. II. cap. IX. §. 17.* verum contrarium luculenter o-
- it n-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 67

ostendit Excellent. Dn. Vitriarius *L. 2. Instit. I. Nat. & Gent. c. 7. Qu.*  
*44.* dum eiusdem Iuris esse discrimen inter Legitimos & Na-  
 turales probavit, cuius Iuris sit differentia inter Nuptias & con-  
 cubinatum; At vero iure naturæ multis parasangis Matrimoni-  
 um a concubinato distare, *Lib. 2. Cap. 5. qu. 22.* deduxerat, ergo  
 per consequens de eodem Iure hi diuersi Liberi, tanquam effe-  
 ctus a sua causa participabunt. Et hic est communis stylus apud  
 omnes fere gentes, ratione sua recte vtentes receptus atque vſita-  
 tus, siquidem apud illos liberi, nepotes, propinqui, familia &c. so-  
 lum de Matrimonio prædicantur, hunc vero loquendi modum  
 in toto quasi orbe vigentem aliter explicare velle, non priuati vel  
 vnius hominis opus est. Vitriar. *cit. loc.* Agnita sic differentia,  
 quæ inter hos duplicis generis partus intercedit, restat adhuc vt  
 vterius inquiramus; *num non posita hac inæqualitate Naturales nihil-*  
*ominus quandoque ad successionem in Regno Patris peruenire possint?*  
 Et videtur hic non parum momenti habere diuersa natura Regno-  
 rum, num videlicet illa sint patrimonialia vel minus, in prioribus,  
 seu eiusmodi Regnis, quæ quis pleno iure sibi acquisiuit, v. g.  
 Iure belli, vel deditione sine conditione facta, patris arbitrio  
 committeretur, num filium naturalem in hoc Regno declarare velit  
 heredem. Succedet itaque eiusmodi filius in his Regnis vel ex-  
 pressa vel præsumta voluntate patris, quando nim. intestatus dece-  
 dit, vbi probabile sane est, illum potius naturalem suum successo-  
 rem velle, quam extraneum quendam. In cæteris vero Regnis,  
 quæ libero consensu populi nituntur, hoc neglecto, eiusmodi  
 persona successionis omnino incapaces reputandæ. Vid. Grot.  
*Lib. 2. c. 7. §. 12. & 16.*

Peruenimus tandem ad Germaniam nostram, & perspectis  
 desultorie tantum potissimis primariorum in Europa Regnorum  
 Liberis naturalibus, nunc ad illam quoq; animum applicabimus,  
 curam nostram in id ante omnia intendentes, vt inquiramus in il-  
 lorum iura quæ ipsis intuitu successionis competant, & num pari  
 passu cum priuatis spuris hoc in puncto ambulent. Dari au-  
 tem in Germania nostra ab Illustribus personis editos Liberos na-  
 turales, nemo facile in dubium vocabit, & possemus illorum cu-  
 mu-



68 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

- mulum quendam hic coaceruare, si res ab omni periculo immu-  
 nis foret. Ita Imperatorum nostrorum nonnulli naturales Li-  
 111 beros genuerunt. Henricus enim Auceps ex Concubina Mi-  
 thilde *Danquardum* siue *Dancmarum*, filium naturalem suscepit;  
 vid. *Ditmar. l. 1. p. m. 5. Bœcler. Hist. sec. IX & X. p. m. 245. &*  
 112 323. Otto M. ex nobili captiua Sclauonici generis *Guilielmum*,  
 postea Archiepiscopum Moguntinum, procreauit, *Ditmarus* a-  
 pud Bœcler. *dist. loc. p. m. 280.* Illi Pater in Italiam abiens filium  
 Ottonem II. commendat, Sigebert. *ad An. 961.* Anno 954. a Pa-  
 tre in custodiam traditus, quod illum, vt Adelaidem coniugem  
 suam, ob cognationem Spiritualem, quia commater esset, di-  
 mitteret, diris execrationibus intentatis, adigere vellet. Al-  
 tero anno a Patre liberatus eadem agere & in Patrem minari  
 perrexit, inter alia dicens. *Vter nostrum Diuinis Legibus aduersa-*  
*tur, clarissime apparebit, cum in Die Pentecostes ad causam coram Deo*  
*orandam aderimus.* Quibus verbis mortis diem patri diuino in-  
 finctu prænucciasse est visus. vid. *Car. Sigon. d. Regno Ital. l. 6. p.*  
*m. 164. 165.* Otto enim A. 973. in die Pentecostes Mimilenzæ,  
 cum esset Imperatoris insignibus redimitus, repente vt a filio  
 multo ante denunciatum fuerat, morte sublatus est, Wilhelmus  
 autem moritur A. 972. *Id. l. 7. p. m. 174. Bœcler. p. 344.* Otto II. Imp.  
 113 ex Concubina duos filios naturales habuit, *Fridericum & Vdalri-*  
*cum*, Bœcl. in *Ott. p. m. 352.* Friderici II. Imperatoris filii natu-  
 114 rales fuerunt \*) *Manfredus* Rex Sicilia, mortuus in prælio con-  
 tra Carolum Andegauensem 1265. vid. *Chron. Carion. l. 5. p. m. 705.*  
 A Filia Manfredi Constantia, Petro Arragonum Regi nupta,  
 Reges Hispaniæ lus suum in vtramque Siciliam deducunt. \*) *Hen-*  
*ricus* siue *Henricus* Rex Sardinia, a quo Marchiones Bentiuoglii  
 genus suum ducunt, vid. *Europaischer Heroldsp. m. 1024.* a Bo-  
 noniensibus captus, per annos 22. menses 9. dies 16. in custo-  
 dia detinetur. vid. *Zenzels Monatl. Unterred. Apr. 1694. Chron. Ca-*  
*riion. l. 5. p. m. 699.* \*) *Fridericus* Princeps Antiochiæ cuius filius Con-  
 radus Caputus, Conradini partes sequens, in Sicilia a Guidone  
 Montfortio proditorie peremptus fuit. Vid. *Chron. Carion. Lib. 5.*  
*pag. m. 705*

Sic



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 69

Sigismundi Imperatoris Filius Naturalis exiit *Io. Hunnia-* 115  
*des* Brittriciæ Comes, vti cum Bonfinio statuit Zach. Theobal-  
 dus im *Husiten = Krieg* P. II. c. 6. p. m. 43. Maximiliano I. Impe- 116  
 ratori tanquam Liberi Naturales adscribuntur *Georgius ab Austria*,  
 Episcopus Brixienfis & Leodiensis, qui Galliam transiens a Fran-  
 cisco I. custodiae mancipatur, quod Gubernator Mediolan. illi-  
 us Legatos Rinconem & Frecofum trucidasset, vid. *Larray Hist.*  
*d' Anglet. Tom. I. p. m. 459.* Georgius hic mortuus 1557. vid. *Limn.*  
*in I. P. L. 5. c. 2. n. 2.* Monetam hac Inscriptioe signabat *Georgius ab*  
*Austria*, & in parte averfa *Epist. Leod. Dux. Bullion. Com. Los. Vid.*  
*Kaysers Ferdinandi I. Neue Münz = Ordn. d. A. 1559. in Corp. Recept.*  
*Imp. p. m. 541. edit. Mogunt. d. A. 1621.* Huic accedit *Fridericus Ma-*  
*ximilianus*, vulgo ab *Amberg* dictus, ductor peditum sub Carolo  
 V. vna cum quatuor siliabus, quarum *Martha*, Ludouici Co-  
 mitis Helffensteinii a Rusticis seditiosis Winsbergi A. 1525. tru-  
 cidati vxor erat, vid. *Sleidan. Lib. 4. p. m. 114. Rittershus. in Tabl.*  
*Genealog. Tab. I. d. Imp. Roman. Archiducib. Austria*, quibus iun-  
 gatur *Dn. Imhof. in Not. Proc. Imp. Lib. I. Cap. IV. §. 9. not. (b)*  
 vbi a *Rittershusio* omissos magna cum industria suppleuit.

Caroli V. Liberorum Naturalium iam supra sub Regibus 117  
 Hispaniæ mentionem iniecimus, quibus addatur sæpissime lau-  
 datus *Dn. Imhof.* qui alios adhuc *Lib. I. cap. IV. §. 8. lit. (1)* addu-  
 xit, communiter ignoratos.

Rudolphi II. Imperatoris Liberorum Naturalium, quorum quin- 118  
 que fuerunt, Catalogum, videsis ap. eundem, §. 11. lit. (r) quos  
 amore breuitatis nominare supersedebo.

Verum ne in immensum se diffundat Discursus Noster Hi- 119  
 storicus, abrumparamus illum denique, & quod nostri magis est  
 instituti, iura ratione successione Liberis Naturalibus debita nunc  
 potius examinabimus. Sicuti autem successio alia est *Feudalis*, alia  
*Allodialis*, ita de vtraq; seorsim agemus, & vbiq; etiam successione  
 in bona paterna a successione in bona Matris sequestrabimus, se-  
 dulo simul cauituri, ne Naturales Liberi cū Legitimis ex post facto  
 talibus, seu Legitimatis, committantur & confundantur, quia de  
 illis



70 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

illis in Cap. vltimo separatim agere stat animus. A primo itaque membro diuisionis nostræ inchoaturi, quaeritur: *An filii naturales in feudo succedere possint?* Et! vniuersa Feudistarum curia negatiue hanc quaestionem decidit, ob expressum textum 2. F. 26. §. *Naturales &c.* cum ius feudale legitimam natiuitatem requirat, & eiusmodi Vasallus honeste in Curia Domini stare non possit. Hac addita insimul ampliacione, etiamsi nulli liberi legitimi adsint, vid. Dn. Stryk. in *Tr. d. Success. ab int. Diff. 1. Cap. 3. §. 26. & in Exam. Iur. Feud. c. XV. Q. 36. infra n. 124.*

121 De priuatorum Liberis Naturalibus hoc expeditum est, quapropter vterius dispiciendum, num *nec liberi Naturales ex Illustri sanguine geniti in Feudis Imperii succedere possint?* in feudis nim. 122 Dignitatum? Ducatum v. g. aut Comitatu titulato? Sane eadem hic obstat feudalis dispositio, & Sanctio Carolina quoque, quæ in A. B. cap. 7. §. 2. Primogenitum Legitimum exigit, & communis hactenus obseruantia atque mos patrius refragatur. Hinc est quod in Speculo Saxonico sequentes inueniantur verficuli:

Das Ehlich und freygebohrene Kind  
Behält seines Vaters Heerschild!

123 I. E. feuda sua atque insignia, *Lib. 3. Art. 72. ibique Glossa.* Vnde factum, quod Albertus Degener, Landgravius Thuringiæ, cum ex Concubina *Cunigunda de Eisenberg* genitum filium naturalem, *Apicium* in prouinciis suis heredem instituere, ab illisque duos filios legitimos, *Fridericum Admorsum & Dicemannum* excludere vellet, nunquam Thuringis suis persuadere potuerit, vt illum pro Domino suo agnoscerent, quare hunc conatum Albertus frustraneum esse videns, id pessimi consilii arripuit, vt integrum hunc Landgraviatum *Adolpho Imperatori* venderet, maximo Thuringiæ detrimento, cum filii legitimi omnibus viribus pro conseruatione sibi debite ditionis pugnarent, Riuand. in *Cbr. Thuring. ad A. 1280. fol. m. 341.* Albertus Argentin. p. m. 109. Andr. Mollerus in *Theatro Freibergensi Chronico, part. 2. p. m. 33-45.* Christ, Weise im *Klugen Hoffm. Cap. X. §. 4.*

In.



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 71

In tantum autem hanc suam sententiam Feudistæ stabiliunt, 124  
 vt nec in subsidium filium naturalem Patri illustri in feudum suc-  
 cedere posse asserant, nullis plane existentibus Liberis Legitimis,  
 prout id deduxit Myler. in *Gam. Cap. XXIII. §. 3. 4. 9. & 10.* Iterus  
 de feud. *Imp. cap. XIV. §. 1.* Huius rei luculentum exemplum præ- 125  
 bet Successio in Comitatum & ditiones Anthonii Guntheri Co-  
 mitis Oldenburgici, qui cum A. 1667. vltimus familiæ suæ extin-  
 ctus esset, filius ipsius naturalis Antonius Comes Aldenburgicus  
 ex Elisabetha, Baronissa de Vngnad, Andreæ Domini de Sonneck  
 filia, susceptus, a patre solummodo Castrum Varel & Dominium  
 Knipphausen in testamento accepit, cohæres insuper in Allodia-  
 libus declaratus, successione feudali ad Regem Daniæ & Duces  
 Holsatiæ Gottorpiensem & Plœnensem deuoluta, vt sic ne minima  
 lis ratione feudorum ab ipso mota fuerit. Dispositio autem pater-  
 na supremæque ipsius Tabulæ habentur in Winckelmanni *Chro-  
 nico Oldenburgico a pag. 564. - 570.* Controuersia vero quæ ratione 126  
 successions feudalis inter Regem Daniæ & Gottorpiensem Du-  
 cem ab vna, & Ducem Plœnensem ab altera parte agitabatur, bre-  
 uiter exponitur a Dn. Imhof. in *Not. Proc. Imp. lib. IV. cap. IX. §. 10.*

Ad minimum tamen filii Naturales Procerum Imperii in feu- 127  
 dis mere hereditariis succedent, cum in illis ad instar Allodii suc-  
 cessio fiat? Si dicendum, quod res est, ab his feudis minime ar-  
 ceri Liberi naturales possunt, si cæteroquin ad seruitia præstanda  
 habiles sint. Quod si enim filii adoptiui in feudis mere hereditariis  
 succedere valent, etiam in regalibus feudis, sicuti Feudistæ com- 128  
 muniter fere statuunt, vid. *Iter. d. Feud. c. 14. §. 8.* multo magis illud  
 de Liberis Naturalibus asserendum erit, cum ratione illorum vin-  
 culum solum civile adsit, in his vero vinculum naturæ & sangui-  
 nis militet. Imo si feuda mere hereditaria pro se & quibuscun-  
 que heredibus conceduntur, Dn. Stryk. in *Ex. iur. feud. Cap. IV. Qu. 45.*  
 ita vt etiam ad extraneos vel testamentarios transmitti pos-  
 sint, quid prohibet, quo minus illa ad Naturales quoque per-  
 uenire possint? A feudis hereditariis ad *femina* pergimus, in 129  
 quibus filios naturales *Matri*, eiusmodi feudum femininum possi-  
 denti



72 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

- deni, *succedere posse*, ex *L. 5. C. ad Sc. Orst.* fluere videtur, per quã  
 130 omnia bona materna ipsis concessã. Verum cum §. *Naturales 2. F. 26.* generaliter loquatur, ad vnum omnes fere Feudistæ ab hisce feudis filios naturales excludunt, arg. *l. 8. ff. d. publ. in rem act.* cum Ius Feudale in genere legitimam natuitatem requirat, Dn. Stryk. *cit. Tr. C. III. §. 26.* Myler ab Ehrenb. *C. 23. §. 10.* Rosenthal. *Cap. VII.*
- 131 *Conclus. 19. n. 2.* Queritur porro, Annon filius naturalis Viri Illustris in feudo succedat, quando is qui primus illud acquisiuit, filius Naturalis fuit? Cum enim semel eiusmodi persona Domino feudi placuerit, illam quoque in successoribus non improbaturum, probabile videtur. Verum non inficias ire possumus, diuersitatis rationem hic subesse, cum enim in inuestitura noui feudi Dominus vitium sciuerit, de inhabilitate tacite simul dispensauit, ratione Successorum vero semper habiles personas præsupposuit, Dn. Stryk. in *Exam. Iur. Feud. sub Generalib. Cap. VI. n. 3.* Myler. ab Ehrenb. in *Gamol. Cap. XXIII. §. 10.*
- 132 Hæc de successione filiorum Naturalium in bonis Feudalibus; Superest, vt dispiciamus, quousque Successio in Allodialibus locum habeat. De lure sane Ciu. cautum, quod Naturales, si nulli adsint legitimi, nec vxor, vna cum Matre Concubina patri ab intestato in duabus vncis succedant, non attento numero Naturalium, per Nou. *89. c. 12. §. 4.* Authent. *Licet C. de Natural.*
- 134 *Lib. Dn. Stryk. in Tr. d. S. A. I. Diff. 1. Cap. 2. §. 46.* Verum, cum nec inter personas illustres Ius Commune priuatum obseruetur, quod vult ut filii & filia legitimæ bona intestatorum parentum pro virilibus portionibus æquo iure diuidant, *L. 11. C. fam. ereise. Nou. 118. C. 1.* sed in plurimis familiis Germaniæ Ius Primogenituræ introductum sit, vi cuius primogenitus fratribus & sororibus ne quidem ad Legitimam, sed tantummodo ad Apannagium & dotem, seu ad honestam sustentationem tenetur, vix etiam ratione Naturalium illud in Successione obtinebit. Sed quid dicendum, si in familia, vbi æqualis adhuc inter Liberos successio viget, Pater in votis habeat, vt filius naturalis cum legitimis in Allodio æquis partibus succederet, num non per adoptionem filii sui naturalis id efficere poteris? Certe filium adoptiuum cum Liberis legi-



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 73

gitimis in successione ab intestato æqualiter concurrere, indubitati iuris est, §. 2. *I. d. Adopt.* nec vlla Lex prohibet, quin in Territoriis Allodialibus succedant Adoptiui, iuxta ea quæ tradit Dn. Schilter. *in Inst. Iur. P. Lib. III. Tit. 1. §. 4.* Insuper sufficere puto, vt <sup>137</sup> eiusmodi pater solummodo hunc suum filium esse declaret, neq; solennitates Iuris Civilis, in adoptionibus vsitatas, adhibeat, cum hæc sint iuris positiui, neque Principes & Status Imperii stringant, idem *Lib. I. Tit. X. §. 1. inf.*

Posito autem naturales Liberos a successione plane excludi, <sup>138</sup> alimenta tamen iisdem a filiis legitimis, vel a Successoribus arbitrio boni Viri, secundum substantiæ mensuram, præstanda, *Nou. 89. c. 12. §. 6.* idque rationi naturali satis consentaneum, vt qui dat <sup>139</sup> formam, etiam det quæ ad formam sunt necessaria, secundum Aristotelem, vel qui causa est, vt homo existat, is quantum necesse est, ei prospicere quoq; debeat, de his quæ ad vitam naturalem ac socialem sunt necessaria, *Grot. Lib. II. c. 7. §. 4.* Vnde est, quod <sup>140</sup> Apannagia in omnibus fere Regnis & prouinciis constituuntur filiis naturalibus, *Springsf. d. Apannag. Cap. III. §. 262. p. 72.* per quæ condecentem prouisionem & sustentationem Vitæ suæ ipsis dignâ consequuntur. Et de hoc semper Illustres Germaniæ proceres sollicitos fuisse, vt Liberis suis Naturalibus ex se genitis certos redditus & sufficientes proventus assignarent, vt habeant vnde decenter viuere possint, omnis Historia nos edocet.

Sic Friderico III. Electori Saxoniz filii naturales fuere FR- <sup>141</sup>DERICVS & SEBASTIANVS, quorum Matri supremis tabulis 200. florenos assignauit, ipsis vero pensionem annuam mille florenorum & Castellum Iessen, cum pago Gersdorff, & censibus aliquibus, legauit. vid. *Sagittar. in vita Georgii Spalatini §. 17. p. m. 76.* vnde & Spalatinus illos fratres Germanos *Iesseos* nominat *in Epist. ad Warbecium d. l. p. m. 228.* *Sebastiani a Iessen* meminit *Chytræus in Chron. L. 14. ad A. 1535. p. m. 45.* Illustris *Seckendorf. in Comment. d. Lutheranismi Lib. II. §. X.* Illustria quoque exempla in inclyta familia <sup>142</sup> Principum Nassouiorum Arausionensis Lineæ conspicua sunt. Si quidem *Wilhelmi I. filius naturalis, IVSTINVS de NASSAV,* Præfectus *Bredæ* erat, de reditibus non habebat, vt conquereretur. In- <sup>143</sup>ter



## 74 CAP. III. DE IVRE LIBEROR. NATVRAL. REG.

ter Mauritii, Principis Araufionensis, naturales Liberos præcipue inclaruerunt duo Mares, WILHELMVS & LVDOVICVS, quorum ille Leccæ Dominus & Vice-Admiralis in Hollandia & Westfrisia erat, in obsidione tandem Grollæ A. 1627. tormento iētus occubuit, hic vero Leccæ ac Beuerwerdiæ Satrapa non solum audebat, sed Odykii Dynasta insuper constitutus erat, Ducis Legionarii munere præterea, & Gubernatoris Bergæ ad Zoomam,

144 postea Sylvæ Ducis, fungens. Friderico Henrico, fratri Mauritii, natus itidem erat frater nothus, FRIDERICVS, Dominus de Zullestein dictus, peditatus Hollandici præfectus, qui contra Gallos ad Vordam pugnans, A. 1672. cecidit, filio cognomine relicto. Vid. Dn. Imhof. in N. P. I. lib. V. Cap. 6. §. 28. 30. & 32.

145 Hæc de filiis Naturalibus cum clara admodum & euicta sint, idem lus quoque sese ad filias naturales pariter extendere omnis suadet æquitas, vt hinc obligatos esse iudicemus Principes ad filias suas naturales dotandas. Vti sane apud priuatos omnino paternum officium est. dotem pro sua dare progenie, l. f. C. d. prom. dot. & Reip. interest mulieres bene dotatas habere, l. 2. ff. de Iur.

146 Dot. ita inter personas Illustres eadem militat necessitas. Hinc est, vt vniuersalibus Germaniæ moribus feminis dos certa ex feudo constituatur, idque quibusdam moribus, vt Pomeranicis obtinet, non modo si allodium deficiat, vel non sufficiat, sed ex feudo quoque dos debetur, etiam si hereditas cæteroproquin sat ampla sit. Vid.

147 Dn. Stryk. in Ex. Iur. feud. c. XXI. Q. 24. At instas, hæc omnia bene se habere, si de filiabus legitimis sermo sit, ad illegitimas autem

148 hæc neuiquam referenda. Verum reponimus, cum dos alimentorum loco successerit, Rosenthal. d. feud. Cap. 7. Concl. 47. n. 2. alimenta vero Liberis Naturalibus a parente naturaliter debeantur, vt supra n. 138. & 139. deduximus, non videmus quomodo pater oneri dotandi filiam suam naturalem se subtrahere possit, in tantum cum eiusmodi filix tanto maiori misericordia præ legitimis dignæ sint, cum difficilior ob natiuitatem suam maritus sint inventuræ, nisi hic defectus opima quadam dote resarciatur.

149 De cætero moris est, vt Domino ad dotandam filiam Vasalli contribuere soleant, præsertim si ipse tantum non habeat, vt congruam



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCSSIONIS. 75

gruam dotem filix constituere possit, Dn. Stryk. *Ex feud. Cap. 18. Qu. 40.* Hinc quæstio enascitur, an liceat quoque Patri filiam suam naturalem eroganti Vasallis suis eiusmodi contributionem imponere, ob ex ihnen eine Fräulein-Steyer auflegen könne? Constat autem hanc Collectam ius Feudale penitus ignorare, & consuetudini solum hunc morem adscribendum, quare cum hoc subsidium inusitati quid sit, & tantum in gratiam filiarum legitimarum introductum, inique ad illegitimas quoque extenditur, cum odiosum sit, nisi Vasalli proprio motu & suapte sponte testandi amoris erga Dominum suum aliquid conferant, dotisque loco adhiberi velint. *Boër. part. 2. Decis. 27.*

Nova ratione successione allodialis nunc occurrit quæstio, *151*  
*an Liberi Naturales in fideicommissariis dispositionibus intelligantur?*  
 Nim. rogatus quis fuerat, ut si sine Liberis decesserit hereditatem restituat, iam vero hic grauatus Liberis legitimis quidem destituitur, sed naturales interim habet. hinc disputatur, an Condicio defecerit, & num propterea hereditatem reddere obligatus sit? Papinianus existimat, etiam ob naturalem filium cessare conditionem, Ulpianus vero Voluntatis hanc esse Quæstionem iudicat, ut ex dignitate, voluntate & conditione fideicommittentis id sit æstimandum, *vid. l. 17. §. 4. ff. ad Sc. Trebel. v. g. si Condicio adscripta fuerit, ei, qui matrimonium contrahere nequit, Liberos tamen naturales habere potest &c. ex coniectura Voluntatis naturales veniunt; multo magis si Testator ipse naturalis fuisset, quia ita naturales non facile abhorruisse censetur. Conf. Dn. Stryk. in Tr. d. S. A. I. Diff. VII. Cap. 2. §. 29.* Verum in dubio naturales *153*  
 Liberos non admittendos censeo, maxime hodie, ubi non æque Concubinatus licitus est, ac lura Civili. Vti & inter illustres personas sub hac conditione non intelligi alios, quam Liberos legitimis, iudicamus. Succedit iusto ordine aliud dubium, *154*  
*an ad hecce naturales admittentur?* Et sane cum Naturalibus Iura Agnationis & Cognationis deficiant, nomine quoque familie illi non contineantur, non video quomodo illa prætere possint. Dn. Stryk.



Stryk. *cit. loc. §. 31.* & cur non Principum quoque naturales a bonis fideicommissariis excludendi sint. *Id. cit. loc. §. 32.*

- 155 Comme da hic se in præsentia offert Occasio, in altioris hancce indaginis Quæstionem inquirendi, *numne filii naturales gentilitia insignia Patris ferre possint?* Iure Ciu. Liberos illegitimos & naturales patris arma non gestare, ex l. 7. *C. d. Nat. Lib. l. 19. d. Stat. bom.* aliisque textibus, discimus, cui sententiæ maximus Doctorum numerus accedit. Sed nec solo Iure Ciu. verum ipso etiam Iure Naturali & Canonico illegitimis filiis portatio armorum hereditariorum interdicta esse videtur, eo quod non habeant iura sanguinis, nec sint de domo, familia, agnatione, parentela & nomine suorum parentum. Hœpingk. *d. Iur. Insignium Cap. 7. §. 3. n. 100. seqq.* Palæottus *cap. 60. §. 6.* quapropter si Liberi Naturales insignia parentum sibi vindicauerint, de iure cogi possunt, vt arma hæc deponant, Myler. ab Ehrenb. *in Gamol. Cap. 23. §. 2* Licet autem hæc quoad Ius Generale ita se habeant, de iure speciali tamen in nonnullis Locis receptum est, vt etiam illegitimi Liberi paterna & gentilitia emblemata deferre possint, sicuti de Consuetudinibus variarum prouinciarum testatur Hœpingk. *cit. loc. n. 142.* In specie in Gallia hunc morem vigere constat, addita tamen hac differentia, vt nimirum transuersalis quadam Linea a sinistro latere ad dextrum currens scuto inferatur, quam *Barram*, termino tecnico in arte Heraldica vocant, vt significetur, non ex legitimo & dextro, sed ex obliquo congressu eiusmodi homines susceptos esse, Limn. *in I. P. Cap. VI. n. 16.* Quare Menetrier de *l' origine des Armoiries c. 21. p. m. 439.*, & Baron dans *l' Art Heraldique Chapitre II. Art. I. p. 29.* scribunt: *Barre n' est point frequente dans les Armoiries, parce qu'ou la considere comme marque de bâtardise; étant l' ancien usage de briser les Armes des Enfans naturels d' un bâton, ou d' un filet, mis dans le sens de la barre &c.*
- 160 Hanc vero consuetudinem apud Germanos, quippe quorum nobilitas multis retro seculis constantissima semper habita, non obtinere, vel ad minimum rarius obseruari, cum apud illos in commune bastardi nobiles non habeantur, & hinc nec illorum insignia ferant, refert Hœpingk. *loc. cit. n. 143.* licet Palæottus *c. 60. n. 7.*



ET PRINCIPVM INTVITV SVCCESIONIS. 77

n. 7. scribat, in Germania spuriorum & legitimorum insignia nota quadam discerni, v. g. stella, vid. Ioann. zur Ribben *Disp. de Nobil. tb. 67.* quod tamen minime generale est. Höpingk n. 144.

Ex eodem fundamento dependet Decisio Quæstionis, an Li. 161  
*beri naturales Personarum Illustrium habeant Ius sepulchri?* Si enim distinctio obseruetur inter sepulchra familiaria & hereditaria, l. 5. ff. de Relig. & sumpt. fun. quorum illa ad solos Agnatos spectant, die gleiche Schild und Helm führen / absolute ea Naturalibus deneganda erunt, eo quod non sint de familia, nisi illorum qui de familia sunt, consensus accedat. Vid. Dn. Stryk. in Not. ad Lauterbach. *Compend. ff. tit. d. Relig. & sumt. fun. verb. in usu est &c. p. 286.* & ad B. Brunnem. *Ius Eccles. Lib. 2. c. 2. §. 12. in Not. ult.* 162

Actum huc vsque de Successione Liberos Naturalium in bona patris illustris, restat nunc, vt quid quoad bona materna iuris sit, indagetur. De iure priuato hic notabilem deprehendimus differentiam inter Successionem paternam & maternam; quoad 163  
 posteriorem enim Liberi naturales indistincte succedunt, siue Mater alios Liberos Legitimos habeat, siue non, l. pen. in f. G. ad Sct. Orfit. Gail. 2. obs. 88. n. 20. idque ea de causa, quia in Matre omnis hic Respektus cessat, nec illa vnquam incerta esse potest, iuxta trium proverbum, keine Mutter trägt einen Bastard / oder Banchhart / (de cuius Vocis Etymologia vid. Riemer. *Disp. de fortuna Spuriorum*) præterquam ex damnato & nefario coitu. Höpingk *Tr. & loc. cit. §. 133.* Quapropter naturalis filius intuitu Matris plane Iure Liberos Legitimorum gaudet, atque omnibus quoque ex Matre Ascendentibus succedit, l. 8. ff. vnde Cognati, Dn. Stryk. *Tr. d. S. A. I.* 164  
*Diff. I. Cap. 2. §. 52.* Hinc quærere nobis conuenit, an simile Ius de Matre Illustri quoque intelligendum, id quod nonnulli in dubium vocare contendunt, moti l. 5. C. ad Sct. Orfit. vbi dicitur, *ius libris existentibus ab illustribus Matribus ad Spurios penitus nihil peruenire debere;* verum cum hæc Lex expresse de Spurio loquatur, de solis Spurii merito capienda, neque ad Naturales extendenda, Dn. Stryk. §. cit. dein ipsa quoque Lex in f. liberos naturales spurii opponit, diuersitatemque sic inter vtrosque ratione Successionis ostendit.



- 165 Ab hac Quæstione ad affinem aliam transimus, num videlicet *Illustris Matris Liberi Naturales ipsius Insignia ferre possint?* Affirmandi occasionem præbet, quod cum liberi naturales ad bona materna venire possunt, bonorum vero appellatione tam res corporales, quam incorporales veniant, qualis est Ius Insignium, *l. 49. de V. S.* fluere sane exinde videtur, quod ipsis maternæ familiaris Insignia debeantur. Quicquid autem huius sit, contrarium tamen verius, & aperti nimis iuris est, respectu matrisfamilias, agnationis nominisque gentilitii considerationem nullam esse,
- 167 *l. 10. §. 6. ff. d. Gradib.* Nec obstat porro, quod naturales Liberi sequantur conditionem Matris, *l. 19. & l. 24. d. Stat. bom.*, illud enim de Libertatis & Seruitutis Conditione, non de dignitatis & honoris aliqua prærogatiua, accipiendum. Consulatur vterius Theodor. Heepingk. *cit. Tr. n. 130. & seqq.*
- 168 Capiti huic finem imponat Quæstio, *an filius naturalis in bonis maternis Iure Retractus gaudeat?* Cum enim ratione bonorum maternorum iisdem priuilegijs vtatur, quæ reliqui Liberi legitimi sibi vindicant, optimo sane iure bona, a Matre potissimum alienata, retrahere poterit. Vid. Dn. Stryk. *in sapius cit. Tr. d. S. A. I.*
- 169 *Diss. VI. c. 2. §. 29.* Limitat quidem Reink. *Qu. 2. c. 1. n. 266.* hanc assertionem, & exceptionem facit in Matre, quæ est illustris persona; verum cum loqui videatur magis de Spurio, cuius patris ignoratur, quam de filio naturali, illud sententiæ nostræ non multum aduersabitur, cum nos eiusmodi filium semper intelligamus, qui ex matre illustri, persona cæteroquin honesta genitus, & a Patre pro suo filio agnitus est.
- 170 Hæcque pro ratione instituti nostri de Liberis Naturalibus, illorumque Iuribus, intuitu Successionis sufficiant; omisso si quidem casus Beneuolus Lector facile supplebit, vel ad ductum reliquorum a nobis propositorum exemplorum nullo negotio decidet.



\* (79) \*

## CAPVT. IV. ET VLTIMVM.

# De Legitimatione Liberorum Natura- lium Regum & Principum.

### S V M M A R I A.

- |   |  |
|---|--|
| <b>C</b> onnexio capitula, n. 1.  | Resp. Aff. 17.   |
| Diuisio eius, 2.  | Exempla, 18.   |
| Diuersi modi legitimandi recensentur, 3.  | An Imperator habeat Ius Legitimandi? 19. 20.                                   |
| Illos quoque ad Principum personas applicari posse ostenditur, 4.                                   | Etiā Principes Imperii possunt legitimare, 21. 22. 23.                         |
| Probat̄ur id exemplo legitimatiōis per S. M. & Rescriptum Principis, 5.                             | Differt tamen illorum Legitimat̄io ab Imperatoria, 24.                         |
| Legitimari per: S. M. quomodo alias vocentur? 6.  | Hinc Imperator Spurius illustres legitimat, 25.                                |
| Legitimationis per oblationem Curie officia quadam exempla in personis Illustribus traduntur, 7. 8. | Legitimat etiam Imperator mediate per Comites Palatinos, 26.                   |
| Hodie hac Legitimat̄io cessat, prout illa apud Romanos vigeat, 9. 10.                               | Simili quoque privilegio gaudent quidam Principes, 27.                         |
| Legitimat̄io per ingressum Monasterii exponitur, 11.  | Queritur, an hi Spurius illustres legitimare queant? 28. 29. 30.               |
| Causa efficiens Legitimat̄ionis per S. M. explicatur, 12.   | Camera Imperii Illustres Spurius non legitimat, 31.                            |
| Cuius causa proxima est Matrimonium, 13.  | Potest quoque Rex illegitimos Liberos legitimare ante illorum natiuitatem, 32. |
| Etiā in articulo mortis contrahunt, 14.   | Illustratur id casu & exemplo, 33. 34.   |
| Legitimat̄ionis per R. P. Causa efficiens indicatur, 15.  | Queritur, an pontifex possit Spurius illustres legitimare? 35.                 |
| An Rex proprius Spurius possit legitimare? 16.  | Expeditur id distinctionibus, 36. seq.   |
|   | Subiunguntur Legitimat̄ionis Pontificiae exempla, 40. seq.                     |
|   | Et Decisio Questionis, 43.   |

Ls-



80 CAP. IV. DE LEGITIMAT. LIBEROR. NATURAL.

*Legitimationis per R. P. forma & requisita enarrantur, 44. seqq.*

*quæ tamen hodie non obseruantur, 46. & seq.*

*De Iure Rom. Soli naturales legitimabantur, 51.*

*Quod hodie secus, 52. seqq.*

*Legitimationis per S. M. effectus monstratur, 54.*

*Habent eadem Iura, quæ reliqui Liberi legitime nati, 55.*

*Deferunt arma paterna, 56.*

*Succedunt in feudis, 57, 58.*

*Similitudines quedam adiiiciuntur, 59. seq.*

*An filius per S. M. a principe vel Comite in articulo mortis constituto*

*legitimus, in feudo succedat? 61*

*Alia Quæstiones huc pertinentes remissive tractantur, 62, 63.*

*An legitimatorum per R. P. eadem sit conditio? 64.*

*An in feudo succedant? 65.*

*An insignia gerant paterna? 66.*

*Alia Quæstiones huc spectantes proponuntur, 67, 68.*

*Diquiritur, an liberi a patre bigamo geniti legitimis vel illegitimis sint annumerandi, & num per consequem Legitimatione indigeant? 69. seq.*

*Conclusio totius Disputationis 73. seqq.*

*Conclusio totius Disputationis 73. seqq.*

*Conclusio totius Disputationis 73. seqq.*

- P**ostquam hæcenus Liberos naturales in Statu quo eos Natura produxit, contemplati sumus, non superuacaneum esse duxi, breuissimis quoque nunc considerare illos, quatenus natalibus & legitimitati sunt restituti. Vt id eo distinctius, & dilucidius procedat, integrum hoc caput 4. hisce Membris includam,
- 1.) varios & potiores Legitimationis Modos euoluam, 2.) personas, quæ legitimare possunt, indicabo 3.) personas, quæ legitimari queunt, ostendam, & tandem effectus in quacunque Legitimatione tradam. Huic methodo vt accurate insistamus, a
  - 3 variis Legitimationis modis sermonem ordimur, vbi potissimum
  - 4.) principaliores Modi se offerunt, Legitimatio nempe per subsequens Matrimonium, per Rescriptum Principis, per oblationem Curie, & per ingressum in Monasterium facta. Sunt hi Modi legitimationis notiores, quam vt necesse existimemus, vel minimam illorum descriptionem exhibere. Sufficiat nobis, quo intra terminos nos contineamus, si demonstrauerimus vnumquemque horum modorum etiam inter illustres Personas obtinere, & meditantur.



antibus illis etiam harum Liberos naturales legitimitatem suam  
 consequi. De Legitimatione per S. M. & Rescriptum Principis  
 res non dubia, has inter Principes quoque personas frequenta-  
 ri, sicut id omnes fere I. P. DD. vno ore testantur. Vid. Dn. de  
 Rhetz. *Lib. 1. Tit. 20. §. 6. & Lib. 11. Tit. 9. §. 7. & 8.* Solent eiusmodi  
 Liberi quoque Mantel-Kinder appellari, eo quod nonnullis in  
 Locis, si aetas eorum id permittat, matri in benedictione Sacer-  
 dotali adstare, eiusque vestitum tenere in more habeant, Ge-  
 org. Schulz. *ad §. 13. Lit. K. l. d. Nupt.* Legitimationis per oblatio-  
 nem Curiaë factæ affine quidpiam esse poterit ΙΕΡΗΤΑ, qui qui-  
 dem contra LL. natus, vocatus tamen Rex a Patria, quem antea  
 nolebant Ciuem: *Veni, & esto Princeps noster*, acclamantes, & pu-  
 gna contra filios Ammon. Iudic. XI. v. 6. Simile exemplum præbet  
 ARNVLPHVS, postea Imperator, cum a Carolomanno Patre, Ba-  
 uariae oblatum esset Regno. Cessauit quidem hodie hæc species  
 Legitimationis, prout illa ad Romanos obtinebat, vbi Collegio  
 Decurionum admoti ipso iure erant legitimi, eo quod nemo alias  
 ad molesta huius Curiaë munera subeunda adigi poterat. Inter-  
 rim tamen non multum ab hoc legitimandi modo recedit Legiti-  
 matio, quæ fit dum quis officio cuidam scienter præficitur, quod  
 cum honore & dignitate coniunctum est, & sic tacite quasi ratio-  
 ne natalium cum ipso dispensatur. Vid. supra *Cap. 2. n. 72.* vbi de  
 Assessore & Consiliario eiusmodi exemplum protulimus. Iung.  
 Dn. Hopp. *ad I. d. Nupt. §. 13. in Not.* Ad similitudinem Legitima-  
 tionis per oblationem Curiaë Pontificii Legitimationem per ingressum  
 si Monasterium ingredi velit. vid. Anton. de Rosellis *de Legitima-  
 tione, Lib. 3. n. 7.* Per ingressum siquidem religionis purgatur omne  
 vitium, *c. non liceat. 19. quest. 3.* Blasius Michalorius *Tr. d. fratribus  
 part. 3. c. 27. n. 33.*

Progredimur ad alterum Membrum, vbi in causam efficien-  
 tem & fundamentum omnium harum Legitimationum nobis in-  
 quirendum erit. Ipsa sane Legitimatio per S. M. omnem suam effi-  
 caciam adscribit potestati Legis & Matrimonio infecuro; cuius  
 tanta vis est, vt filios antegenitos legitimos efficiat, per *cap. tanta  
 6. X.*



82 CAP. IV. DE LEGITIMAT. LIBEROR. NATVRAL.

- 14 *c. X. qui fil. sint leg.* Idque in tantum verum est, vt licet alter e coniugibus in articulo mortis iam constitutus sit, vel intermedium matrimonium intercesserit post susceptionem naturalium, Legitimationo tamen nihilominus rite facta esse censeatur, Dn. Stryk. *d. Success. ab int. Diss. 1. Cap. 11. §. 62.* Lauterb. *in Disp. d. Legitimatione*
- 15 *per S. M. tb. 19-21.* Legitimationis per Rescriptum Principis facta fundamentum dependere a potestate Principis non videtur ambigi posse, Ziegler. *d. Iur. Mai. Lib. 1. c. 10. §. 1.* vt sic quicumque supremam in Rep. Maiestatem exercet, hoc Regale optimo iure sibi quoque vindicet. Id ratione subditorum expeditum satis
- 16 est. Verum intricatus hic & subtilis occurrit articulus, an ipse Rex vel illicite qui τὸ κύριον in Rep. habet, proprios filios naturales
- 17 vel spurios legitimare possit? Sane cum Legitimationo inuoluat Superioritatem, in Regno autem præter summum Imperantem nullus alius existat, qui hoc ius impertire possit, necessum est, vt ipse Rex proprios filios hac clementia afficiat, & ingenuitati natalium restituat. Huius iuris sibi competentis certo persuasi, plurimi inveniuntur Reges qui proprios Liberos legitimos hoc modo reddiderunt; Fridericus enim II Imperator non solum Manfredum filium naturalem legitimauit, ei que Testamento Arelatense Regnum reliquit, vti narrat Autor *paralip. Abb. Vrspergens. & Ziegl. d. Iur. Mai. cap. X. §. 12.* Sed & Carolus I. & Philippus IV. Reges Hispaniæ proprios Liberos a macula natiuitatis purgarunt. Hoc cum in omnibus Regibus procedat, quibus Iura Maiestatis non sunt adempta vel restricta, sequitur etiam in Imperio nostro Imperatori hanc facultatem illegitime natos, legitimandi competere, vti expresse hanc potestatem Imperatori adscribunt Bocerus *d. Regalibus c. 2. n. 68. & seqq.* Limn. *d. I. P. Lib. II. c. 9. n. 140. & seqq.* Dn. de Rhez. *Lib. 1. Tit. 4. §. 63.* & innumeri alii. Sed cum in hoc vnumquemque facile nobiscum consentientem habituros nobis imaginemur, non opus est vt multis rationibus & allegationibus B. L. in sententiam nostram perducamus, vt potius ad vexatiorem quæstionem vt ilius nos conuertamus, an videlicet etiam principes Imperii hac facultate polleant? Licet autem Principes Imperii non tam plena gaudeant Maiestate, qua absoluti Reges in Regnis suis fruuntur ha.



habent tamen analogi quidpiam cum hac Maieftate, fic vt omnia fere iura exerceant, quæ a fummis Imperantibus in prouinciis fuis communiter fibi vindicantur. Schweder. in *Intrad. in Ius Publ. part. Special. Sect. II. Cap. X. §. 1. & 3.* Myler. ab Ehrenb. d. *Principib. & Statib. Imp. c. XIV.* Huius summi Iuris itaque fequela quoque 22  
 eft Legitimationis potestas, quam Statibus Imperii quoad fubditos fuos competere, nimis euidentis eft, Limn. d. *I. P. lib. 4. cap. 9. n. 142.* Myler. d. *Statib. Imp. Cap. 54.* Knipschild. d. *Ciuit. Imp. l. 2. c. 4. n. 100.* licet nonnulli I. P. DD. hoc ius foli Imperatori adfcribant, 23  
 & inter Referuata eius referant, quos vid. ap. Schweder. *loc. Tr. cit. part. Special. Sect. I. cap. 16. §. 3.* Interea tamen vtriusque potestas 24  
 ratione ambitus fui diuerfa admodum eft, cum Imperator per vniuerfum Imperium hoc Ius, ficut & alios actus gratiosos, exercere poffit, ftatus autem Imperii non fubdito hanc facultatem concedere nequeat. Ziegler. d. *Iur. Mai. c. 10. §. 7.* Myler. *cit. c. §. vlt.* Inde eft, quod, licet Principes proprios Spurios legitimare non 25  
 prohibeantur, ne tamen difputationibus & litibus anfa detur, num eiusmodi Legitimationi etiam extra territorium pro talibus habendi fint, Dn. Stryk. in *Disp. d. Iur. principis extra Territorium c. 2 n. 48-54.* confultius fe facere Principes iudicent, fi fuos proprios Liberos Naturales Imperatori legitimandos offerant, quibus ille quoque immediate hanc gratiam concedere folet. Vid. Schweder. *cit. c. XVI. §. 9.*

Conftat etiam quandoque mediate quoque Imperatorem hoc 26  
 ius exercere, ficuti Comites Palatini ex delegata potestate hac facultate communiter gaudent. Verum illis hoc ius non folet concedi, vt illuftres legitiment, vid. Reinking. d. *Reg. Sec. & Ecclif. Cl. V. c. 5.* Habent etiam Archi Duces Auftriæ, Duces Mediolanenfes, 27  
 Sabaudus, tanquam Vicarius Imperii, hoc priuilegium, vt illegitime natis denatiuitate fua gratiam indulgere poffint, Limn. d. *I. P. L. II. c. 9. n. 141. & L. V. c. 2. n. 32.* de quibus non fine ratione quifquerere poffet, annon illi quoque illuftrium Liberos Naturales integritati natalium reftituere valeant? Comites fiquidem Palatini, 29  
 hoc iure tam late extenfo, propterea potiffimum deftituuntur, cum illi communiter e priuatorum numero fint, vt fic illuftres ægre



84 CAP. IV. DE LEGITIMAT. LIBEROR. NATVRAL.

- gre ab his beneficia accipere velle videantur; quæ ratio cum in hisce personis hoc iure itidem pollutibus cesset, hinc de illis id  
 30 affirmandum esse apparet. Ast, cum tenor diplomatis & priuilegii hic vtramque paginam faciat, ex illo omnem decisionem merito capimus, cuius concessionem tanto rariorem credimus, quod Imperator vix omne hoc ius alii communicasse præsumendus  
 31 lit. *De Camera Imperii* disceptari adhuc posset, *an illa Spurium Principis legitimare queat.* Habet illa quidem Actus voluntariæ iurisdictionis, qui eidem lege concessi sunt, aut per obseruantiam illi competunt, verum cum hæc Legitimitio ex horum numero non sit, & Regalibus potius accensenda, inde hanc facultatem ipsi denegamus. Schweder. *loc. cit. §. 9.* Hactenus itaque recensitos modos ad Legitimationem Rescripto Principis, vel immediate vel mediate factam, referendos esse patet, quibus illud adiungimus, perinde esse num Princeps antecederet vel post  
 32 natiuitatem Liberos illegitimos declaret. Ponamus enim Regem publice declarare, se omnes liberos ex hac concubina nascituros pro legitimis habere velle, hi iam ante illorum natiuitatē legitimati Rescripto Principis erunt, nec natiuitate existente nouo decreto Principis indigent. Apud Reges Daniæ modernos similem  
 34 morem ratione suorum Liberiorum Naturalium obtinere, fama est. Superst, vt breuibus adhuc inquiramus, *num etiam Pontifex*  
 35 *Spurios, cum primis Illustres, legitimare possit?* De Euangelicis hic non est quæstio, cum illi eius iurisdictionem plane non agnoscant; itaque ad solos Pontificios totum negotium restringendum. Quoad hos vero nos non inconuenienter distinguere posse arbitramur num de terris Ecclesiæ sermo sit, vel de terris alienis: In prioribus  
 36 Papam libere illegitimos legitimare posse, non videtur ambigendum, quia super patrimonio D. Petri in temporalibus plenam gerit potestatem, atque in illo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & summi principis exequitur potestatem, *per Cap. Venerabilem X. qui filii sui legitimi*, quæ posteriori ratio hic solum attenditur, & ex Maiestate ibi illi competente summo iure ad effectus & iura eius concluditur.

Quod vero tanquam Pontifex quoque in alienis Regnis & Pro-



Prouinciis legitimare possit, autoritate ipsius Pontificis quæritur? 38  
 negamus, nam cum in *Cap. Venerabilem.* ante allegato *X. que sit.*  
*sint legitimi*, Guilielmus Comes Montispeffulani a Pontifice ad  
 exemplum Francorum Regis legitimationis titulo decorari peti-  
 isset, Pontifex, inter ceteras causas sui dissensus & denegationis,  
 hanc quoque reddidit: Philippum Francorum Regem Pontificis  
 arbitrio se proprio motu subiecisse, illum in temporalibus supe-  
 riorem non recognoscere, & sic alieno iuri nullum præiudicium  
 inferre; in hoc vero casu se immittere falcem in alienam mes-  
 sem, & alterius iurisdictionem exercere, id quod se nec facere pos-  
 se, nec velle, declarat. Vid. Ziegl. *c. X. §. 9.* Quapropter firmisfi- 39  
 mo nititur talo nostra assertio, Papam in alienis Regnis legitimare  
 non posse, nisi ex concessione alterius Regis vel Principis. De- 40  
 monstrat id exemplum a Philippo Rege Franciæ modo adductum,  
 cuius liberorum legitimationis decretum exhibet Zieglerus *d.l.*  
*§. 11.* vbi in calce nitidum simul & verum hoc adiecit iudicium:  
*Modeste in hoc decreto hanc suam exponit potestatem Pontifex, quippe*  
*quam ex alieno arbitrio, & ipsius Regis concessione habet, maiore cum su-*  
*percilio & Regio spiritu locutus, se eam sibi propriam sciuisset.*

Credibile tamen est, superstitioni temporum hæc esse adscri- 41  
 benda, quod vnusquisque e principibus & personis illustribus  
 legitimationem suam coram Pontifice petierit. Quapropter 42  
 multa legitimationis a Pontificibus factæ exempla in Historiis  
 nobis occurrunt, e quibus vnicum tantum pro hac vice delibasse  
 sufficiat, quod Alexander IV. Pontifex nobis suppeditat, qui Pri-  
 mislai Regis Bohemiæ, liberos adulterinos, Nicolaum & duas  
 Filias, ex soluta susceptas, dum matrimonio coniunctus erat, le-  
 gitimauit, ita vt publica munera, honores, Principatus, gerere  
 permetteret, non tamen vt sub prætextu huius Legitimationis ha-  
 bere possint Regnum Bohemiæ, vel eiusdem Regni regiam digni-  
 tatem, aut succedere in eisdem. Odoricus Raynaldus *Annal. Eccles.*  
*A. 1260. n. 21.* & Dn. Schilter. *in Praxi Iuris Rom. Tom. 2. p. 885.* Pla- 43  
 num itaque est, Pontificem in Terris alienis nullam legiti-  
 mandi facultatem habere, nisi in spiritualibus, quoad beneficio-  
 rum & ordinum capacitatem, quamuis tum indirecte & per conse-  
 quen-



86 CAP. IV. DE LEGITIMAT. LIBEROR. NATVRAL.  
quentiam etiam quoad temporalia legitimet. vid. *Defel. in Erot. Iur. Can. Lib. IV. Tit. 16. n. 5.* sed quantum huic Canonistarum sententia sit tribuendum, dum hoc commentum ex Episcopatu Oecumenico, & tyrannide Hildebrandina proficiscitur, dudum iam a nostratibus indicatum est. *Ziegl. d. l. in §. 7. subf.*

- 44 Ratione solennium in hoc modo legitimandi obseruandum iure Ciu. cautum est, vt vel pater ipsi Principi preces suas offerat, vota que ac desideria sua exponat, vel ipsi Liberi naturales hoc faciant, exhibito simul testamento patris sui, qui ipsos heredes instituit: Quo facto Princeps illorum desideria exaudiens, vel eidem charta subscribet, vel seorsim libellum legitimacionis confici
- 45 curabit. *Ziegl. d. Iur. Mai. c. X. §. 5.* Huic formæ adhuc alia Requisita accedere de Iur. Rom. opus erat, si hæc legitimatio optatum suum effectum producere debeat, nim. vt 1) Pater alios liberos legitimos non habeat, vt 2) liberos non potuerit reddere legitimos per subsequens Matrim. 3) vt consensus Legitimandorum & 4) Patris voluntas interueniat, *Nou. 74. c. 2. Nou. 89. c. 9. Nou. 74. c. 46.*
- 46 *Nou. 89. c. 10. & 11.* Quæ omnia & singula longe aliter hodie se habere, hæcque requisita non vbique attendi, etiam inter privatos, quotidiana testatur obseruantia: Quidni multo magis personis illustribus inde recedere permissum fuerit, cum hæc requisita non essentiam negotii constituent & absoluant, Principibus aut solennitates iuris remissas esse, supra dixerimus. Fatemur quidem
- 47 ordinarie Legitimationem per Rescriptum Principis fieri Liberis legitimis non extantibus, sed propterea Principi non adimitur facultas ex plenitudine potestatis etiam legitima sobole extante, illegitimos legitimandi, quamuis hoc casu pater in libello mentionem legitimorum iniicere debeat, ne hæc legitimatio obreptiæ impetrata incusari possit, vid. *Dn. Stryk. Disp. de falsitate precum Princ. oblat. c. 2. n. 31.* & Princeps in Legitimationis Diplomate expresse adiciat clausulam, *non obstante*, quo de eius voluntate constat, de potestate enim non disputandum, cum salua manente
- 48 te legitima liberorum, non ius quæsitum illorum tollatur, sed adhuc quærendum, *Dn. Hopp. in f. tit. I d. Nupt.* Non negamus quoque hunc legitimandi modum subsidiarium esse & quamdiu Legitimat. per S. M. haberi potest, hunc postponendum; eapropter

ta.



tamen & Princeps hic quoque legitimare poterit, licet pater cum concubina contrahere non sit prohibitus, quoniam Princeps gratiam præceptorum facere valet, Antonius Perez. *C. d. nat. lib. n. 19.* Hoc tamen in casu clausula derogatoria non inutiliter Rescripto inferitur, Gail. *l. 2. obs. 142. n. 3.* Denique nec consensus patris & 49 legitimandorum expressus de essentia absoluta hic esse videntur, cum & infcio & mortuo patre hæc fieri possit, quanquam ad sola iura honestorum natalium consequenda, non vero simul ad successioneis comoda participanda. Imo tacitus quoque consen- 50 sus vel ex silentio collectus, ex parte liberorum, hic sufficet, quo modo infantes legitimantur, quando postmodum maiores facti non contradicendo rati habere præsumuntur. Dn. Hopp. *l. cit.* Ziegl. *d. Iur. Mai. C. X. §. 5. & 6.*

Personales legitimandas quod concernit, iure Civili tantum 51 naturales e concubina nati legitimabantur, Nou. 74. *c. fin. & 89. c. 22.* reliqui autem, tanquam ex odibilibus & prohibitis nuptiis procreati, omni clementia indigni censebantur, Verum hodierni no- 52 stri mores mitius cum simili sobole procedunt, & quascunque ex stupro similiue coniunctione illegitima natos, legitimationis reddunt participes Hahn. *ad Wesenbec. tit. de his qui sunt sui l. ad Iur. n. 2.* ita ut adulterini quoque & incestuosi, cum primis quando ex tali 53 incestu fuerint nati, in quo a Principe dispensari potest, hoc beneficio mastrari queant. Ziegl. *cit. c. X. §. 2. & 3.*

Pergendum nunc nobis ad vltimum huius Capituli membrum 54 vbi effectus singularum harum legitimationum a nobis indagandi erunt. Legitimationis per S. M. quanta sit vis ac efficacia, in ore omnium est, quod illa nempe omnem maculam emaculet, & purgentur omnia vitia antecedentia per subsequens matrimonium. De priuatorum iuribus, quantum illi per hanc legi- 55 timationem acquirant, nunc non erimus solliciti, sed in sphæra nostra permanentes, in Principum per subsequens Matr. legitimationum iura inquiremus, vbi generaliter notandum, quod per matrimonium ad successioneis & dignitatem illustrem habiles fiant. Vnde sequitur, quod arma & insignia Patris ipsis gestare permis- 56 sum sit, sine aliqua adiectione, sicut id multis rationibus & auctoritati-



88 CAP. IV. DE LEGITIMAT. LIBEROR. NATURAL.

57 ritatibus corroborat Hoepingk. *d. Jur. Inf. c. 7. §. 4. n. 16. & seqq.* vltius in feudis titulatis & Maioribus, siue sint soli, siue cum aliis filiis concurrant, etiam succedunt, arg. *§. Naturales 2. feud. 26.* quam sententiam Myler. ab Ehrenb. & rationibus, & innumeris variorum Regnorum exemplis & moribus illustrat, in *Gamol. c. 24. §. 3.*

58 Hinc huic sententiæ etiam in feudis Imperii standum esse, plurimis DD. non sine fundamento videtur, quorum vestigia hac in parte merito legimus, vid. Itter. *de feud. Imp. c. 14. §. 2.* Perillustris Dn. de Rhetz, in *Inst. I. P. Lib. I. Tit. XX. §. 7.* Dn. Stryk. *de Success. ab int. Diff. I. Cap. 3. §. 27.* quibus in super addi potest Perillustris Liber Baro & Nob. Dnus. ab Andler in *Iuriprudencia qua publica qua priuata, nouissima editionis in fol. 1699. Campidone edita Lib. 2. Tit. 30. n. 13.* qui tamen contrariæ est opinionis. Hanc assertionem tamen nostram varias iterum admittere limitationes, non inficiandum, vt hic inuestitura, vel consuetudo, & feudi qualitas, probe sit inspicienda, 60 de quibus Myler. *loc. cit. §. 7.* Vti pariter exceptionem quoque faciunt, si mater penitus abiectæ fortis, & vilissimæ conditionis sit, cuius exempla tradit Myler. *§. 4.* Dn. Stryk. in *Vf. Mod. ff. de his qui*  
 61 *sunt sui l. al. iur. §. 9.* Cum supra iam n. 14. asseruerimus, Legitimationem per S. M. in articulo mortis quoque fieri posse, non inconuenienter quæstio hic enascitur, an eiusm. filius a patre Principe vel Comite legitimatus, in feudis regalibus & dignitaris succedat, agnatosque excludat? Possit quidem hoc negotium suspectum alicui videri, & totus actus in fraudem alterius gestus censerì, & per consequens inualidus existimari, arg. *l. 59. ff. Sol. matr.* sed cum matrimonium, legitimatio prolis & successio sint connexa, quorum alterum sine altero vix esse poterit, & proprius hic agentis fauor concurrat, qui omnem sinistram suspicionem tollit, pro aff. 62 standum esse censemus. vid. Myler. *c. XXIV. §. IV. num. 178.* An filius primogenitus Principis Imperii legitimatus per S. M. in iurum cum muliere nobili preferendus sit filio legitimo & naturali secundo nato ex ead. V- 63 xore, in successione feudi titulati, ac in iure primogenituræ? Item, Num primogenitus filius naturalis succedat & excludat a successione Ducatus & iuris primogenituræ secundo genitum, natum ex Vxore le- giti-



*legitima, si ea mortua, pater filium primogenitum per Concubinam-  
eris connubium legitime?* Sed ne actum agamus, B. L. ad My-  
lerum remittimus, qui in *Gam. c. XXIV. n. 5. 6. 7. & 8.* quæstio-  
nes hæc solide satis decidit & excusit.

Ad Legitimos per R. P. nunc breuissimis quoque nos 64  
conuertimus, quos deterioris conditionis cum prioribus esse  
in aliquibus deprehendimus; vnde est quod in feudis re-  
gulariter non succedant, vti feudistæ communiter statuunt,  
Rosenthal. *d. feud. Cap. VII. Conclus. XIX. n. 6.* quare & filii na- 65  
turales Principum ab Imperatore legitimati, non succedunt  
in feudis Imperii, *Itter. d. feud. Imp. c. XIV. §. 5.* id quod Myler.  
*cit. c. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* variis rationibus & moribus diuersarum  
prouinciarum adstruit. Sic nec regulariter huiusmodi filii 66  
legitimati per Rescr. principis insignia paterna vsurpant, ni-  
si nominatim & expresse ad illa fuerint legitimati; Quo ta-  
men in casu nihilominus adiectione barræ adhuc opus est,  
Hœpingk. *Cap. VII. §. 4. n. 218.* Myler. *c. XXV. §. X.* Filiorum 67  
per oblationem Curie legitimatorum quæ sit ratio in succes-  
sione feudali, vid. Rosenthal. *c. VII. Conclus. 19. n. 6. Lit. g.* Dn.  
Stryk. in *Ex. Iur. feud. Cap. XV. Qu. 42.* Qui pluribus horum 68  
Liberorum Legimatorum iura ratione successionis nosse de-  
siderat, adeat tam I. P. quam I. F. Scriptores, qui ex professo in  
sedibus ordinariis hanc materiam pertractarunt, cum in o-  
mnia & singula nobis excurrere non liceat.

Ad extremum, propositum nobis primitus erat, quæstio- 69  
nem hanc sub incudem revocare, *an Liberi a patre bigamo e po-  
steriori potissimum matrimonio nati pro illegitimis habendi sint, & num  
propterea legitimatione indigeant?* Materia sane nostra quam ha- 70  
tenus discussimus, id summo iure a nobis exigere videbatur,  
cum tam illustria in Imperio cum primis nostro eiusmodi e-  
xempla occurrant. Verum cum sum disputationis nostræ 71  
plus iusto iam excreuerit, vt hinc necessario illud tandem  
abrumpere cogamur, grauisimum hocce dubium aliis tru-  
tinandum & meditandum relinquimus, quod in primis fun-  
damen-



90 CAP. IV. DE LEGIT. LIBER. NATVR. REG. &c.  
damentali hac quæstione nititur, an Polygamia Iuri Diu. &  
Naturæ contrarietur, vt sic eius prohibitio summos Principes  
quoque stringere possit? Negatiuam sententiam Pseudony-  
mus quidam, *Daphneus Arcuarius* dictus, in Germanico quo-  
dam tractatu de Polygamia operose satis defendit, de cuius  
72 rationibus & argumentis sapientiores iudicent. Interim  
singulare & non in consequentiam trahendum exemplum  
est, quod Philippus Magnanimus Landgrauius - Hassiæ ex  
prægrauibus causis & extraordinariis circumstantiis super-  
stite adhuc vxore aliam sibi superinduxerit, Margaretham  
de Sahle dictam, hac de re collectis prius maximorum & re-  
ligiosissimorum Theologorum, Lutheri, Melanchthonis,  
Buceri, aliorumque iudiciis, quæ vna cum instrumento De-  
sponsationis non indigna sunt, vt in *Pref. Tract.* legantur p.  
210. seqq.

73 Sed manum de tabula! Spinofam ergo hanc materi-  
am tandem dimittimus. Non inepte hic notissimam illam  
Iuris Regulam voti instar adhibere possumus, satius esse  
intacta lura seruare, quam post vulneratam causam reme-  
dium querere! Melius siquidem parentes & sibi & proge-  
niei suæ consulerent, si ex iusto toro prolem susciperent, vt  
non anxie in iura huic debita inquirere opus esset. Vitent  
itaque in posterum vniuersi hosce naturæ impetus & digres-  
siones, vt in Nou. 74. appellantur, & *legitimis matrimoniis*  
*legitimam sibi posteritatem semper querere studeant. Superfluum sic*  
*erit vt iniusta libidinum desideria vlla venia defendant, bisque na-*  
74 *turæ excessibus præsidia quarantur. l. 7. c. d. Nat. l.* De cetero  
quod si in hac Disp. aliquid, quod reuerentiæ Augustorum  
Capitum aduersum censerî possit, ex inaduertentia positum  
sit, illud non dictum esto. B. vero L. hunc qualemcunque  
laborem benigno iudicio & æqua mente excipiat; Tibi au-  
tem Ter Sancte DEVS pro asfistentia tua benignissima,  
& concessa diuina gratia, æternæ sunt laudes.

F I N I S.

Ad




\* (91) \*

Ad

Generosum Dissertationis  
Autorem

Post exantlata cum laude examina so-  
lenniter disputantem.

OLZSCHVHER clarum ducis natalibus  
ortum  
Pierisique rigas ora frequenter a-  
quis,

Testantur studium flagrans sacra templa Lycei  
Altorfi celebris, testificatur Hala.

Illustri linquis mentis vestigia signo  
Illustres Spuriis dum Tua lingua refert.

Gratulor inde Tibi, qui famæ augmenta dedisti  
Ingenio Patriæ dexteriore Tuæ.

Vicit iter durum labor arduus, vnde patefcunt  
Culmina Parnasfi summa petenda Tibi,

Faxit IOVA Tuæ felicia femina mentis  
Farræ focus patriis fertilia ferant.

ita ex animo vovebat

SAMVEL STRYKIVS, IC.

SER. ELECT. BRAND CONSIL. INZ.  
ET FAC. IVRID. ORDINAR

M 2

VIRO



\* (92) \*  
VIRO IUVENI  
GENEROSO AC NOBILISSIMO,  
IO. SIGIS. HOLTZSCHVHERO,  
de NEVENBURG & THALHEIM,  
ad summa nitenti,  
Salutem plurimam dicit  
PRÆSES.

**D**Vm boni omnes votiuis acclamationibus hoc tempore Te excipiunt, optime HOLTZSCHVHERE, ego profecto flere nec debui, nec potui, hinc publice erumpit affectus & intra viscera se contineri amplius non patitur. Recordor, cum insigni delectatione animi, illius temporis, quo ante biennium Mulas nostras primum salutabas: excepimus Te eo maiori gaudio, quo certiora bonæ spei indicia præ Te ferebas. Veneras ad nos solidissimis principiis instructus, quæ in illustri Altorfina, ex doctrina summorum Virorum, Linckii, Spitzii, Wagenfëllii, Sturmii aliorumque, hauseras egregie, quibus fundamentis, quæ Tibi adhuc deesse videbantur, superstruere in nostra Academia, tanto statim ardore auspiciatus es, vt omnes, mox ab initio, de felici euentu, non tam bene sperare, quam confidere coeperint. Tu autem non modo satisfecisti nostræ expectationi, sed & spem omnium superasti.  
expe-



Experimenta huius rei nuper dedisti nostro Collegio Iuridico. Cum enim, obtemperaturus illorum voluntati, quos reuereri & colere gloria est, Te stitisses nobis, quo per consueta examina inquireremus in profectus Tuos, tam insignes eos deprehendimus, vt amplissimum campum nacti fuerimus, Tibi de felicissime absolutis studiis Tuis impense gratulandi. Recte igitur & ordine facis, vltimum quoque examen publicum non subterfugiendo. Quam in rem publico conflictui exhibes dissertatiouem hanc, proprio, vt dicitur, Marte, a Te tam egregie conscriptam, vt luculenti instar testimonii, de optime in Academiis transacto tempore, esse possit. Hæc vero, quam etiam in se eximia sunt, in Te tamen eo maiorem laudem merentur, quod, cum his speciminibus illi tantum indigere videantur, qui gradus Academicos expetunt, Tu quoque eadem non spernas, vtut per feliciorum nascendi sortem nulla te coegerit necessitas. O quam egregium est, non tantum sanguine, sed & virtute, eniti! Nam

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra puto.

Sed vnum adhuc in Te deprehendo, quod pace Tua longe maioris facio, quam eruditionem Tuam, licet hæc quoque plane insignis sit. Innuo suauiſſimam illam morum modestiam, & non affe-




\* (94) \*

affectatam, sed sinceram pietatem, qua omnibus  
Tuis commilitonibus exemplo esse potuisti. Æ-  
stimant alii litterarum studia, & ad cœlum extol-  
lant, ego sane non refragabor, qui pariter eadem  
colo; longe tamen maiori apud me in pretio est  
Pietas. Hæc enim nisi fundamentum sit omni-  
um studiorum, inutilia cuncta erunt, utpote qui-  
bus nec Dei gloria, nec publicæ rei commodum,  
vlla ratione promoueri poterit. Tu autem, æsti-  
matisime Amice, cum vtrumque obseruaueris  
sedulo, ac iustitiæ pietatem, pietatique iustitiam  
iunxeris, quam vberimos inde fructus leget ali-  
quando dulcissima Patria Tua, amplissima Resp.  
Norimbergensis! Sed iubet modestia Tua & con-  
suetus Tibi a propria laude horror, ut in his bre-  
uis sim, in quibus tamen prolixus esse malletm.  
Hinc nihil addo aliud, quam ut Tibi de egregiis  
virtutibus Tuis, ut illustri familiæ, de tam insigni  
ornamento, quod Tu illi præstas, ut Patriæ deni-  
que Tuæ, de maximis commodis, Tua opera &  
industria in posterum consequendis, ex animo gra-  
tuler, Deumque optimum maximum, quo his om-  
nibus gratiam suam diuinam addat, exorem. I-  
ta vale, carissimum caput, & prout Tua apud nos  
memoria sempiterna erit, ita Tu etiam Fridericia-  
næ nostræ, nunquam obliuiscere. Vale iterum  
iterumque.











ULB Halle

002 100 509

3




VB 17











B. C. D. 1700 266 22  
74  
DISPV TATIO IVRIDICA SOLENNIS  
DE

# LIBERIS NATV- RALIBVS

REGVM ET PRINCIPVM,

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

FRIDERICO WILHELMO,  
ARCHIONE BRANDENBVRGICO, ELECTO-  
RATUS ET PROVINCIIARUM HEREDE &c. &c.

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA  
V T O R I T A T E I N C L Y T Æ F A C V L T A T I S I V R I D I C Æ  
P R A E S I D E

DN. IO. SAMVELE STRYKIO,  
I. V. D. PROF. PVBLICO ORDINARIO,  
& h. t. DECANO

*Patrono perpetuo honoris & obseruantia cultu prosequendo,*  
VII. Septembr. A. R. S. MDCC. Horis Ante- & Pomeridianis  
IN AVDITORIO MAIORI  
placidæ Eruditorum Disquisitioni submittit

D. SIGISMVNDVS HOLTZSCHVHER,  
de NEVENBVRG & THALHEIM,  
Norib.

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP. 1711.